HISTORIÆ PARLIAMENTI ANGLIÆ

BREVIARIUM

Tribus partibus explicitum.

1. *Cauſæ & Exordia Belli civilis Angliæ.*
2. *Progreſſuum Civilis Belli brevis mentio.*
3. *Originis & progreſſus ſecundi Belli Compendioſa enarratio.*

AVTHORE T. M.

Juxta Emplar,
LONDINI,
Typis CAROLI SUMPTNER.

1651.

UMI

CAVSÆ ET EXORDIA BELLI CIVILIS ANGLIÆ.

LIBER PRIMVS.

DE Parliamento Angliæ, & Exordiis Belli funestissimi, tot annos intra Regni viscera grassantis, scribenti, quamvis breviter; pauca tamen de causis (pro statu rerum & temporum) convocandi ejusdem Parliamenti, necessario videntur præmittenda. Et quamvis non feliciori interea vel Scotiæ, vel Hyberniæ conditio, (quæ positæ sub eodem Rege, eidem calamitati expositæ sunt) potissimum de Anglia, ut Regnorum nobilissimo, & Regia sede, unde in reliqua defluere videbatur labes, Sermo instituetur. Mirandum prorsus, quanta Regiminis illius Intemperies, quæ tantum genuit Morbum! quanta Morbi malignitas, cui Parliamentum inefficax Medicina!

Quadragesimum ætatis (decimum

quintum ex quo regnare cœperat) annum agebat *Carolus*, cum indictum fuit hoc Parliamentum, tot annos violatæ (pluſquam ſub ullo Regum) leges Regni, oppreſſa Populi libertas, & proculcata authoritas ipſorum Parliamentorum, quibus Leges, libertateſque fulciuntur, paulatim Anglos irritaſſent.

Rex enim *Carolus*, intra quartum Imperii annum, tria convocaſſet Parliamenta; eademque omnia properanter diſſolviſſet, priuſquam utilia Reipublicæ reddi poſſent, aut ullam Populi preſſuram ſublevare. In Secundo, Petitionem illam Subditorum, quam Petitionē æqui vocant, (nempe de libertatibus, & proprietatibus Populi recte ſtabiliendis) conceſſit, ſignavitque: ſed Parliamento ſtatim diſſoluto, Leges multimodis, ut antea, violavit; ita ut omnibus appareret, libertatem Populi, conceſſione Petitionis illius, non tam munitam quam funditus everſam eſſe; & palam innotuit, nec leges ipſas Populo Tutelam, nec Fidem Regis, ſecuritatem præſtare. Poſt diſſolutionem Tertii, vetiti

ſunt

sunt homines Edicto publico de Parliamentis deinceps loqui.

Cessantibus Parliamentis, Domi Monopoliis, variisque illegitimis pecuniarum rapinis, spoliati sunt subditi; Foris nullæ propemodum Negotiationes, nisi quæ Religioni, Reipublicæque damnosæ, exercebantur.

Initio Imperii, susceptа est Expeditio in Hispanos, ad expugnandum Caditii oppidum, infelix Anglis, & damnosa; altera quoque funestior multo contra Gallos, insequente anno ad Rheam Insulam. Sed illud omnium maxime luctuosum accidit Protestantibus, & Religioni, quod *Carolus Rex*, non multum antea, Naves suas expeditissimas Regi Gallorum tradidisset, quarum vi & robore, Protestantium Classes per totam Galliam fractæ, dissipatæque, & festinata miserabilis illa Rupellæ per famem expugnatio.

Variis deinde modis per totam Angliam Pecuniam exigebat Rex; magnas ubique summas, per privata sigilla, ab invito Populo mutuavit, Vectigal illud grande (& antea inaudi-

tum) sub *pratextu Classis conservandæ*, subditis imposuit; nec remedium aliquod relictum, judicibus voluntati Regis servire coactis.

In tanta tamen libertatis jactura Pax integra fuit, ex tranquillitate felices videbantur Angli, donec fatale illud Incendium, quo tria Regna misere postea conflagrabant, accensum est in Scotia, anno salutis 1637. dum Rex summopere annixus est eandem Leiturgiæ formam, & Regimen Ecclesiasticum (hoc enim prætendebat) quibus utebantur Angli, in Scotiam introducere.

Jamdudum in Anglia Dignitates Pompaque Præsulum promotæ; Civiles Magistratus, & Honores ampli in Ecclesiasticos collati, hinc cæremoniæ multæ, & Innovationes in Templa fuissent inductæ; Doctrinam Romanam in multis amplecti, & Reformatas omnes Ecclesias contemnere cœpissent Præsules & Ecclesiastici Anglicani; in Aula præsertim Papistæ exultabant; & potentia Reginæ, quæ plurimum apud virum poterat, Pontificis Romani Nuntii, Panzanus, Con-

Connus, & Rosettus summo cum honore recepti essent.

Rex vero, ut opus prædictum in Scotia perficeret, viam ante præparasset; Civiles Dignitates, Magistratusque ut in Anglia, ita in Scotia, in Episcopos contulisset, è quorum numero, quatuordecim videlicet, undecim Consiliarii Regni facti essent, hæc tamen Scotis displicebant; quibus non ipse Episcopatus gratus esset; ut Regno semel ejectus, nec nisi magno *Iacobi* Regis conamine restitutus.

Missus itaque Liber Leiturgię in Scotiam *Anno* 1637. cum Mandato etiam Regio, ut publice in Templis legeretur. Querebantur Scoti Rem tanti momenti, nondum consensu Ecclesiæ suæ in Synodo Nationali approbatam, eis imponi, querebantur etiam librum hunc non in omnibus consentaneum libro Anglicano esse, sed multis in locis variatum, alterationes quasdam (fatebantur) in melius esse, sed multo plures in deterius, denique affirmabant librum istum, ubicunque à libro Anglicano dissentit, ad Romanum Missale inclinare; & omnes Pa-

pistiçæ doctrinæ partes in illo contineri. Alterationes istas Rex excusare nititur, ut pote veritus nisi librum illis omnino eúndem, & totidem verbis cum Anglicano obtulisser, offendi potuissent, tanquam signo subordinationis Ecclesiæ Scoticæ; sed nihil effecit hæc Excusatio, Liber, ut Rex mandaverat, in Templo maximo *Edenburgi* perlectus est, non tamen sine maximo tumultu, in quo Episcopus, qui librum legerat, vix incolumis evasit. Tumultuatum primo à Plebe.

Mox Nobiliores, & ministri quam plurimi librum istum publice detestabantur. Missi sunt ad Regem, qui orarent, ut mandatum de libro isto revocaret. immotus est Rex, & mandatum suum renovat. Edicto etiam jubet ut omnes *Edinburgo*, qui istuc eo nomine confluxerant, statim discederent, quod in tantum nihil profecit, ut numerum illorum augeret, qui Consiliarios Regios *Edinburgi* obsecrant, ut Regis animum de hac re iterum tentarent; interea multum Episcopos suos, ut innovationis hujus reos, criminantur.

Rex Consiliarios suos vetuit Petitio-

tiones eorum accipere; & per Comitem Traquarium in Scotiam missum, Sterlini Edictum promulgavit, *Episcopos, quoad librum hunc, innocentes esse; seque authorem totius rei, & ni quiescerent, actiones illorum seditiosas esse, & secundum leges puniendas denuntiat.*

Contra Edictum hoc protestantur Nobiles aliquot Scotorum, cum Ministris, aliisque, & conventus suos ut legitimos defendunt, nempe pro gloria Dei, Regis honore, & Patriæ libertate. *Fœdus tunc Solenne* inter se sanciunt *pro Religione* & *Libertate*: Cui Fœderi non tantum Nobiles, sed omnium Ordinum homines quamplurimi nomina subscribunt, adeo ut intra paucos dies, multa Millia Fœderatorum numerarentur. Iratus Rex multis internuntiis Fœdus illud damnavit; defendunt Scoti, quæ utrinque differebantur, fusius explicata sunt in libro cui Titulus, *Tumultus Scotici.*

Mense *Iunio, Marchio* Hamiltonius, ut Regis Delegatus, *Edinburgum* adveniens, cum Fœderatis frustra egit, ut Fœderi renuntiarent. Edictum tamen Regis promulgavit; in quo publicam

Libri illius lectionem se non coacturum pronuntiat; & Parliamentum, Synodumque se illis concedere statuisse; cum aliis. Non tamen hæc satis ampla visa Fœderatis, & post multas de variis rebus disceptationes, multo acrius dissensum est. Marchio bis ea æstate ad Regem in Angliam profectus, tandem vicesimo primo die *Novembris*, Edicto Regis, Nationalem Synodum Glascuæ convocavit; hanc tamen Synodum intra septem dies *Marchio* dissolvit. Causam dissolutionis asserens, quod Fœderati, in leges & Instituta liberæ Synodi peccassent, tam in forma Electionum quam in variis negotiis & transactionibus durante Sessione.

Contra hanc Dissolutionem Fœderati protestantur, & Synodum producunt; in qua, leges, & Decreta, præsenti rerum statui idonea, sanciunt, postea Synodum dissolvunt; & Declarationem innocentiæ suæ, & institutorum omnium, fidelibus in Anglia Christianis mittendam, edunt.

Accensus Rex, acerbissimum in Scotos Edictum promulgavit; quod etiam in

in templis omnibus per totam Angliam populo jussit legi; & continuo exercitum contra illos, ut Rebelles parat. Servis suis omnibus, Generosis & Nobilibus imperat, ut ad primum *Aprilis* diem *Eboraci* conveniant; equis Armisque, pro facultatibus quisque suis instructi. *Arundelius* Comes Dux Generalissimus factus est: nec mora, dicto tempore locoque Exercitus splendidus, armis divitiisque instructissimus, Regem comitatur.

Ab impio tamen hoc Bello abhorrebant generatim Angli, tanquam ad exitium libertatis utriusque Nationis facto. Scotos amabant, ut fratres suos, & communi, cum ipsis, hoste oppressos. Sperabant primo Regem hoc irretitum negotio, coactum fore Parliamentum in Anglia (tam diu desideratum) tandem convocare. Sed illi omnia potius quam Parliamenta perpeti statutum fuit.

Fœderati Scoti Edicto Regis responsum, & contra vim ejus, arma velocissime parant. Arces, Castella, & oppida munita occupant, suspectos omnes sine Tumultu exarmant. Ducem

bello eligunt *Alexandrum Leſlæum* militiæ peritiſſimum. Cujus Imperio, Proceres & Barones Regni non dedignati ſunt obtemperare. Eodem tempore Parliamentum Scotiæ Regis juſſu diſſolvitur.

Non tamen ad Arma ventum eſt. Nobiles aliquot utriuſque Gentis inter ſe de pace agitabant, tanta felicitate, ut ad colloquium tandem perventum eſt, & à Rege impetratum, ut pacificatio fieret, quæ incredibili utriuſque Nationis gaudio promulgata eſt 18. Die *Junij* 1639. & uterque Exercitus intra horas 48 dimiſſus. Rex Scotis Nationalem Synodum conceſſit, quę ſexto ſequentis *Auguſti* die inciperet; & Parliamentum vicesimo quarto ejuſdem Menſis convenien-dum. Scoti, Anglique domum redeunt.

Rex Londinum reverſus, non diu ibidem moratus eſſet, cum alienato à Scotis animo eſſe, & bello iterum ſtudere cœpit. Chartam illam, in qua veras pacis conditiones contineri, affirmabant Scoti, Rex ut falſam arguebat; & eandem, publico Edicto, Carnificis manu, comburi juſſit; unde boni omnes.

mnes mœrore affecti, impium illud bellum renovari perhorrescebant.

Initio *Decembris*, Rex animum suum Proceribus privati Consilii aperuit, statuisse se Parliamentum in Anglia indicere sequenti *Aprili* incipiendum.

Qui rumor in vulgus sparsus, mirum quanta admiratione homines affecit, adeo inusitatum, & pene inauditum, apud Anglos nomen Parliamenti factum est. Prudentes vero non admodum lætati sunt, querentes quod in tam longum tempus differendum esset; cum interim apparatus belli contra Scotos indies fieret; displicebat etiam quod Comes Straffordiæ, Hyberniæ Prorex, vir acutissimi ingenii, sed suspectæ probitatis, ex intimis Regi consiliis, longe ante initium Parliamenti Anglicani, navigaturus in Hyberniam esset, conventum Ordinum in illo Regno indicturus, displicebat porro quod Rex eodem tempore Parliamentum Scoticum dissolvisset, de quo graviter querebantur Scoti, dissolutionem illam, antequam consultum esset negotiis Regni, contra

libet-

libertatem, & leges eorum esse, affirmantes.

Missi sunt deinde Proceres aliquot Scotorum in Angliam, qui humillime apud Regem querebantur, sibi post pacificationem injurias factas esse, contra pacificationis illius pacta; nempe dissolutionem Parliamenti intempestivam; item quod Præsidium militum multo majus quam res postularet, impositum esset castello *Edenburgi*; quod Britannoduni Arx Præsidio Anglorum militum tenebatur; quod Mercatoribus Scotis, qui in Anglia & Hybernia commercii causa agebant, nova Juramenta imposita essent, fœderi suo omnino contraria, & adversus leges Articulosque Pacificationis.

Proceres illos Scotos Rex incarceravit, ex quibus unus, Comes Lovvdeniæ, ut Læsæ Majestatis reus, Turri Londinensi in custodiam traditur. Summa accusationis ejus, fuit Epistola quædam, seu Petitio, quam Lovvdenius inter cæteros signasset, mittenda Gallorum Regi, auxilium ejus in bello nupero Scotiæ imploratura, accusationi huic facile postea responsum fuit,

fuit ; Litteras illas non omnino esse missas, præterea scriptas fuisse ante Pacificationem in qua pacta est Oblivio præteritorum omnium, cum multis aliis ; adeo ut impune cessit Lovvdenio, quanquam Rex litteras illas in initio Parliamenti Anglicani produxit, ostenditque tanquam belli illius, quod acerrime gesturus esset adversus Scotos, causam aliquam allaturas.

Decimo tertio die *Aprilis* Parliamentum Angliæ convenit. Jam enim Comes Straffordiæ ex Hybernia reversus esset, ubi Parliamento indicto, & cito dissoluto, grandem Pecuniæ summam nempe quatuor Subsidia (sic enim contributiones populi Parliamentarias vocant Angli) Regi acquisivisset.

Rex intentus bello Scotico, pecuniam à conventu Ordinum Angliæ importune flagitavit, ut stipendia exercitui suo, quem jam comparasset, solveret, nec minus quam duodecim Subsidia postulavit, propter quæ, Vectigal illud grande & novum, quod prætextu Classis conservandæ subditis imposuisset, se remissurum promisit.

Pro-

Promisit etiam se postea subditos & Rempublicam in omnibus, quæ peterentur, sublevaturum. Solummodo pecuniam primo loco, ut destinatum perficeret bellum, enixe postulavit: ad hæc responsum est ab Ordinibus, Emendationes Reipublicæ, & pressurarum levationes præcipuum esse Parliamentorum finem; & semper debere pecuniarum contributioni antecedere; præterea Regem grandem pecuniæ summam postulare, ut remitteret Vectigal illud, quod nullo jure subditis imposuisset, quod illegitime, & vi sola accepisset, non teneri Populum Anglicanum aliquid contribuere in tale Bellum, quod non tantum non cupiunt, sed maxime detestantur; Bellum non bono, sed exitio reipublicæ suæ designatum; nihil tam justum esse, quam ut Authores impii illius Belli supplicio afficerentur.

Tantam tamen Regi reverentiam, & obedientiam præstiterunt Regni Ordines ut contributiones aliquas (quamvis pecunia collata in ipsorum damnum expenderetur) decreverunt; & de Subsidiis agitarunt; ante vero

quam

quam disceptatio hæc finiretur; Rex necti moras cogitans, in Conventum Procerum ipse venit, & Parliamentum quinto die *Maii* dissolvit; palam tamen Protestatus est Rex, se deinceps ita regnaturum, & leges inviolatas conservaturum, ac si Parliamentum constanter teneretur: postero vero die Membra aliquot Parliamenti (contra supremæ illius Curiæ privilegia) incarceravit, videlicet Belosisum, Hothamum, & Crevum; Conclavia quoque & scrinia Baronis Brookii scrutata illegitime sunt. Convocatio quoque Clericorum Sessionem suam mandato Regis (novum exemplum) continuarunt, & Canones complures illius authoritate ediderunt, & juramenta quædam contra leges & libertates Angliæ, populo imposuerunt. Angebantur vero boni omnes ob festinatam Parliamenti hujus dissolutionem; nec non dolebant Regis fidem, & promissa tam subito violata.

Rex in sumptus hujus Belli, præter contributiones Clericorum & Papistarum, Vectigal illud *de Classe conservanda*, renovavit; Aurum & Argentum

quod

quod cudendum in Turri Londinensi servabatur, (inauditum antea exemplum!) rapuit. Merces aliquas, quas minore iterum pretio venderet, mutuavit. De cudenda quoque ærea moneta cogitavit, sed hoc non processit.

Processit tamen Bellum sub ductu Comitis Straffordiæ (Comes enim Northumbriæ, Dux antea designatus, ægrotabat;) nec segnes erant Scoti, nam commerciis eorum undique interclusis, & navibus ubique jussu Regis detentis, Angliam cum Exercitu intraverunt, non tamen hostiliter populo Anglicano se gessuros scriptis declarabant, & humillimam Regi petitionem secum adducebant.

Nec solum pecunia ad hoc bellum Regi defuit; sed animi militum, præsertim gregariorum, qui contra Scotos adduci renuerunt; qui causam hujus belli oderunt, & Ducibus suis Rebelles, seditiones crebras, & tumultus excitarunt; quod, inter cætera, in causa fuit; cur bellum hoc non tam funeste ut designatum fuerat à Rege, processerit. Velitationes quædam, & Præliola, Nevvborniæ unum, alterum

Dun-

Dunſianæ, non procul à Bervico oppido evenerunt; nec multum ſanguinis in utroque fuſum.

Dum hæc geruntur, Nobiliſſimi aliquot Anglorum, Comites ſcilicet, & Barones, numero circiter viginti, dum patriæ ſuæ dedecus mœſtis animis evolvebant, & quantum Anglia temeritate Regis paſſa eſſet, conſenſu communi Petitionem illi humilliſimam preſentabant, in qua, poſt enumeratas aliquot Regiminis ejus actiones, & miſerabiles earum effectus, preſſuras Populi, deplorandam jam (Nobiliſſimi quondam) Regni conditionem, tot Parliamentorum violationes & diſſolutiones nimium feſtinatas; poſtremo quantas Regno calamitates impium hoc bellum minabatur; ſuppliciter orant ut Parliamentum quam citiſſime indîcat, in Anglia; per quod Regni ſtatus emendetur, leventur Populi, funeſtum hoc bellum æquis conditionibus componatur; & authores horum facinorum juſtis ſuppliciis afficiantur.

Rex, accepta Petitione, conventum Procerum Eboraci indicit, viceſimo quar-

quarto die *Septembris*; quibus enarrat se Parliamentum sponte sua indicere statuisse, idque quam citissime incepturum, nempe tertio die *Novembris*.

Consultum tunc est inter magnates, quomodo bellum hoc honestis conditionibus finiretur; & post varias disceptationes, Proceres aliquot utriusque Regni electi, per quos articuli pacis fierent, inter quos tandem hæc statuta sunt.

1. Cessatio Armorum per duos menses, nempe ad decimum sextum diem *Decembris*.

2. Durante Cessatione 850. libræ per diem Scotis solvantur.

3. Si prædicta summa non solvatur, liceat Scotis vi capere de Comitatibus Northumbriæ, Cumbriæ, Westmerlandiæ, & Episcopatu Dunelmensi.

4. Comitatus illi sint Scotorum Hyberna.

5. Novi apparatus bellici non fiant.

6. Privatæ injuriæ Cessationem hanc non solvant, si satisfiat querentibus.

7. Mercatores liberè commercia sua

sua in utroque regno exerceant; milites autem sine venia limitibus suis non egrediantur.

Ad hunc modum mutatæ sunt res; & bellum duobus Regnis exitium minitans, majoris concordiæ vinculum inter utrumque factum, & felix causa Parliamenti tam diu in Anglia desiderati, quo leges violatæ, & oppressæ nobilissimi Regni libertates tandem vindicentur.

Maxima hujus Parliamenti expectatio fuit; cui soli, ut malorum omnium remedio, innixa est spes totius Angliæ; quod, Regem, ut post tot errores coactum indicere, ita non ausurum violare crediderunt. Quapropter Scotos (ut tantæ sibi felicitatis authores, qui libertatem suam vindicando, libertati Angliæ viam aperuissent) summo amore complexi sunt: hæc eadem causa odium Regis in Scotos, ut consiliorum suorum remoratores excitavit; nec odium hoc dissimulavit, cum, in publico Ordinum conventu concionatus, amorem maximum subditis Anglis testatus, se illorum affectibus solum modo inniti, & quicquid felicitati illius

lius Nationis conducere posset, factu-
rum promittens, in Scotos, ut Rebel-
les invectus; illos vi & armis è Regno
Angliæ expellendos censuit, longe au-
tem aliter de Scotis censuit Parlia-
mentum; ut postea manifestum fiet.

Maximam Regi reverentiam præ-
stitit Parliamentum; & gratias pro
conventu hoc egit, de persona ejus
nihil nisi optimum dicebatur. Invi-
diam præteritorum malorum, & o-
mnium, quæ passi sunt Populi, in ma-
los Regni Consiliarios tantum (nulla
de Rege nisi honorifica facta mentio-
ne) rejecerunt; ut liquido apparebit
illis, qui elegantes virorum illustrium,
orationes in conventu illo, postea
Typis excusas, perlegere dignetur.

Multa variique generis negotia
Parliamento huic incubuerunt; multa
peragenda, delicta multorum, quos
tam longum tempus noxios fecisset,
examinanda. Ad quæ omnia diligen-
tius disquirenda, delegati in dies ex
magno illius conventus corpore sunt
viri prudentes, incœptum est à Reli-
gione, ubi compertum est Ministros
multos, qui pie, sobrie, & conscienter
vixis-

vixissent, seduli præterea in verbo concionando, injuste ab Episcopis vexatos fuisse, aliquos beneficiis suis ejectos, incarceratos alios, ob cæremonias quasdam nuper in Ecclesiam introductas, quibus obedientiam ministri illi non præstitissent; hi omnes nunc liberati, & compensati sunt: è contrario quos comperissent Ministros aut moribus impuris Ecclesiam scandalizantes, aut superstitionibus nimium addictos (utriusque enim generis multos, ad deprimendos Puritanos, Episcopi promovissent) aut deprivabant, aut aliter puniebant.

Comes Straffordiæ, Hyberniæ Prorex, Perduellionis accusatus, Turri Londinensi in custodiam traditur, & 18 die *Decembris* Gulielmus Laudus Archiepiscopus Cantuariensis, ejusdem criminis accusatus, in eandem Carcerem conjectus est.

Die sequente, Mathæus Wrennus Episcopus Norvvicensis, multorum criminum reus arguebatur, multis superstitionibus noxius, quas in Regimine suo Ecclesiastico exercens, detrimenta maxima Reipublicæ intulerat.

Ob

Ob hanc causam Perduellionis quoque accusatus, ut compareret ad causam dicendam, in triginta millibus librarum obligatus est, cum tribus Fidejussoribus, singulis in decem millibus librarum similiter obligatis.

Franciscus Windebankus miles, Principalis Regni Secretarius, arcta amicitia Laudo Archiepiscopo junctus, per quem Dignitatem illam adeptus creditur, in judicium eodem tempore vocatus est. Præcipuum illi crimen objectum fuit nimia erga sacerdotes Romanæ Ecclesiæ (contra leges Angliæ) indulgentia; è quibus, alios (Regis aut Reginæ jussu) carcere liberasset; alios, Fidejussoribus datis, illegaliter dimisisset, quibus criminibus disquirendis Delegati sunt, è numero Parliamentariorum aliqui. Windebankus vero conscius sibi, & judicium timens, circa initium *Decembris*, clam aufugit, & in Galliam profectus est.

Paucis à Windebanki fuga interjectis diebus, Joannes Finchus, Miles, Baro Fordicensis, magni Sigilli Angliæ Custos, clam quoque aufugiens, se in

se in Belgium contulit. Huic viro crimina varii generis objecta sunt.

1. Quod cum Prolocutor in Parliamento, Anno quarto *Caroli* Regis esset, munus suum non fideliter obiit, nec debitam conventui illi obedientiam præstitit, jussus enim loqui, solvit.

2. Secundum crimen sententiæ injustæ ab illo latæ de Forrestis, cum supremus esset Justiciarius de Communi Placito.

3. Tertium erat, quod cum Judices à Rege accersiti essent, ut opiniones suas extrajudiciarias de grādi illo Vectigali, *pro Classe conservanda*, darent; Finchus non solum persuasionibus, sed minis etiam cum aliis Judicibus egit, ut secundum Regis voluntatem pronunciarent. Postremum erat Declaratio illa falsa & injuriosa, post dissolutionem ultimi Parliamenti, ab illo composita, his delictis reus Perduellionis factus est in Domo Communium, quæ sententia ad Domum Procerum 44 *Januarii*, post fugam ejus delata est.

Decimo quinto die *Februarii* 1640. lata est lex, & à Rege (secundum consuetudinem) signata, de Parliamento

in tertium quemque annum indicendo, in qua cautum est ut magni sigilli Custos, aut Cancellarius Ducatus Lancastriæ, si Rex hoc non faceret, Edicta prædictis temporibus emitteret de Parliamento illo indicendo, in quo si deficerent, jactura Magistratus sui mulctarentur. Pro cujus legis signatione, pomeridiano ejusdem diei, ab utraque Domo Parliamenti, tam Procerum quam Communium, ad aulam ejus convenientium; Gratiæ actæ sunt Regi.

Effluxum jam erat tempus Induciarum inter exercitus duos Anglorum & Scotorum; quæ consensu Parliamenti renovatæ sunt, in alium mensem duraturæ. Parliamentum enim, quamvis Rex (ut ante dictum est) Rebelles Scotos vocasset, & Regno expellendos censuit, eos loco amicorum habuit. Et eodem tempore, quo renovata est hæc armorum Cessatio, decretum est Scotorum damna resarcienda esse, & sumptus omnes belli, quod illis Rex intulisset, retribuendos, quibus recensitis, decretum est etiam Scotorum Naves, quæ captæ post hoc bel-

bellum essent, reddendas, & ad Naves illas descrutandas quatuor millia librarum Scotis tribuenda. Statutum est insuper, utriusque Domus consensu, quod trecenta millia librarum Scotis darentur, in his verbis, *ut pensatio pro damnis & necessitatibus fratrum nostrorum de Scotia.* Se quoque tempore opportuno consideraturos de modo colligendarum pecuniarum, & diebus solutionis, promiserunt. Post tres dies à Scotis, Londini Agentibus, Gratiæ Parliamento, non solum pro grandi illa Pecuniarum Summa, sed etiam pro fraterna compellatione, actæ sunt.

Eodem etiam tempore, ad firmandam magis inter duas Nationes Amicitiam, statutum est libellos omnes, & Edicta, quæcunque in Scotos promulgata essent, revocanda; & Gratiarum actionem publicam in omnibus Angliæ Templis pro felici illa Pace, Deo celebrandam.

Quam ingentibus tunc impensis exhausti sunt Populi Anglicani, miretur aliquis, dum (præter alia) stipendia duobus, & tantis, exercitibus sol-

vere coacti sunt. Hæc tamen omnia patienter, & sine ulla in Regem (tantorum onerum authorem) murmuratione tulit Populus, futurum ejus amorem demereri studens. Alacriter sex Subsidia contribuerunt; & præterea grande illud Vectigal, Capitecensum, persolvere contenti sunt, in quo Duces in centum libris, Marchiones in Octoginta, Comites 60. Vicecomites, & Barones, 40. censebantur. Equites de Balneo, 30. alii Equites, 20. Armigeri, 10. & quicunque centum libras per annum dispendere possent, 5 l. Vulgi capita sex denarios solvere tenebantur.

Eodem Mense *Februarii* declaravit Rex in Parliamento statuisse se filiam suam primo genitam, Principem *Mariam*, decimum agentem annum in Matrimonio collocare Principi Gulielmo de Nassavv, Henrici Orangii filio, adolescenti circiter 16. annos nato. Res tunc agitabatur per legatos Ordinum Generalium Belgii: placuit Parliamento conjugium illud. Nec multo post, in Angliam appulit Gulielmus Princeps, læte admodum, & splen-

splendide Londini à Rege & Regina exceptus, cui secundo die *Maii* 1641. magna solennitate nupta est Princeps *Maria*.

Decimo die *Maii*, *Thomas* Comes Straffordiæ, qui sex ante Menses, Turri Londinensi in custodiam traditus esset, decollatus est; de quo viro, de criminibus illi objectis, de Judicio ejus Pompali, & notatu dignissimo, paucis differam. Circa finem *Ianuarii* lecta est accusatio contra Comitem Straffordium in Domo Communium, novem articulis generalibus contenta; qui deinde subdivisionibus in plures extendebantur, quorum (singula enim longum nimis esset hic referre) omnium fere hæc summa. Objectum est quod in Hyberniæ Regno, & Borealibus Angliæ partibus, quas gubernasset, arbitrariam potestatem, & legibus contrariam exercuisset; quod proventus Regis sine computatione recepisset; quod Pontificiam Religionem in Hybernia promovisset; quod malitiose conatus esset odia inter Angliam & Scotiam interserere; quod conatus esset Parliamenta subvertere, &

Regis animum illac impellere. Delegati etiam è Scotia, qui Londini tunc agebant, de injuriis in Nationē suam, Comitem accusabant. Comes defensionem, suam in domo Procerum tricesimo secundo die *Februarii*, præsente Rege, perlegebat. Sequente vero Mense *Martii* in Aula *VVestmonasteriensi* Comes Straffordiæ, memorabili spectaculo, in judicio sistebatur. Circa totam Aulam contabulata magnifice extructa sunt, quibus sedilia, non tantum Proceribus Communibusque totius Parliamenti; sed Delegatis etiam è Scotia, & multis Hyberniæ Nobilibus (præter alios complures Spectatores) continebantur. Comes Arundelius magnus Seneschallus, & Lyndeseius Comes Constabularius summus, facti sunt. Rex ipse, iclausa pergula (tanquam privatus Judicii totius spectator Auditorque) indies sedebat, & scriptis omnia mandabat. Quindecim dies Comes in Judicio sistebatur, & objectis respondebat; nempe à vicesimo secundo *Martii* (paucis intermissis diebus) ad decimum sextum *Aprilis*. Comes Perduellionis postulatus

tus (quamvis multa magnaque crimina adversus illum probata essent) Perduellionis tamen se reum, constanter pernegabat; nec ex aliis criminibus (quam pluribus licet) aggregatis perduellionem fieri posse contendebat.

Dilata est Sententia, & multæ accusationis illius particulæ in Billam Attinctura postea insertæ sunt. Nam Billa Attinctura postea facta est, & lecta contra Comitem Straffordiæ in domo Communium 21 *Aprilis*, ubi reus Perduellionis pronuntiatus est.

Tandem Dominus St. JOHN Sollicitator Regius, & Membrum Parliamenti, ut proceribus persuaderet, vicesimo nono *Aprilis* in Aula *VVestmonasteriensi* (Comite Straffordiæ ad Repagulum astante, & Rege consueto loco præsente) ex multis præcedentibus statutis justitiam Sententiæ illius asseruit, quo persuasi proceres, & plus postea confirmati; Cum Judices de illa sententia opiniones suas proferrent, ipsi quoque Comitem Straffordiæ perduellionis reum pronunciabant. Regis autem conscientiæ (ut proceribus affirmabat) nullo modo satisfa-

ctum est, ut perduellionis illum condemnaret, quamvis aliorum criminum reum existimaret; donec lassatus petitionibus, ut justitia fieret imploran-tibus, Ipse Rex Concilium suum Secretum in Palatio convocans, Judices ad sententias suas coram illo proferendas, accersivit; & Episcopos aliquot, ad eximendos conscientiæ scrupulos. Quo tandem factum est; ut potestatem quatuor Proceribus faceret, suo nomine mandatum illud de supplicio Straffordiensis consignando: quod supplicium die prædicto sumptum est.

Festinatus à populo Straffordiæ Comitis interitus videtur; quod Insidiæ in Parliamenti exitium structæ sub idem tempus detegebantur, quarum pars una fuit, ut Straffordius è Turri elaberetur; ad hoc efficiendum, milites aliquot à Joanne Suclino, & aliis, sub prætextu bellandi pro Rege Lusitaniæ, cujus legatus, Londini tunc agebat, comparati sunt. Hos Milites ipse Rex (qui conscius harum Insidiarum inventus est) Gulielmo Balforo Equiti, Arcis præfecto, mandavit, ut in Tur-

Turrim intromitteret. Ille autem, dolo intellecto, Regi non obtemperavit.

Præcipua vero hujus proditionis pars fuit; ut exercitus Anglorum, qui Borealibus Regni partibus, armis adhuc instructus, tenebatur, ad Londinum adduceretur, vim ipsi Parliamento illaturus, ad tuendam (ut jactabant proditores) prærogativam Regis, Episcopatum, & alia. Conspiratores præcipui fuere Henricus Percius, Northumbriæ Comitis frater; Henricus Jerminus, Reginæ præfectus Equorum; Tribuni Goringus, Willmottus, Ashburnhamus; nec non Pollardus, Suclinus, aliique. Quæ Rex ipse cum Percio de Insidiis istis contra Parliamentum consultatione disseruisset, patefacta sunt postea in Epistola Percii ad fratrem Northumbrium, scripta è Gallia; (nam Percius, Jerminus, & Suclinus, in initio *Maii*, cum primum detegi cœpisset proditio, aufugerunt in Galliam) hac Epistola, palam in domo Communium perlecta, Wilmottus, Ashburnhamus, & Pollardus, (de quibus ut conscii fa-

ctâ esset mentio in Epistola) in custodiam traditi sunt. Goringus initio tam multa fassus est, ut veniam mereri videbatur. Comprehensus est postea alius, conscius. Onellus, Hybernus, & Papista, qui Turri Londinensi in custodiam datus, inde non multo post elapsus est.

Comes Straffordiæ Imperator designatus est (si ex arce elabi potuisset) exercitus Hybernici, in quo Equitum peditumque octo millia, majori parte, pontificiæ religionis, recensebantur. Quem exercitum *Rex* nullo modo pati voluisset exauctorati, quamvis petente id Parliamento 28 die *Aprilis*.

In Parliamento autem Proceres Communesque uno consensu, cum negotia Reipublicæ tot modis interturbata, seque tot Insidiis perita cernerent, nec de Regis fide omnino securi, reputantes præterea, quantis impensis solvenda essent stipendia duorum exercituum; & pecunias illas Fide publica mutuandas, petierunt tandem à Rege ut Billam signaret pro continuatione hujus Parliamenti; id est, ne unquam dissolveretur sine utriusque

triusque Domus consensu. Quam sibi oblatam signavit Rex decimo die *Maii*; eodem videlicet die, quo aliam, pro supplicio extremo Comitis Straffordiæ, signavisset.

Pro hac Concessione (cui non antea simile aliquid visum est) Benignitatem Regis mirifice extollebant adulatores. Querebantur illi, qui Parliamenta, reformationesque oderunt, Regem nimiam potestatem è manibus suis dimisisse. Illi autem, qui necessitatem concessionis illius perpendebant, sine qua nullæ Fide publica pecuniæ mutuari possent, non omnino mirati sunt; dicentes, ut nullus antea Rex tale aliquid concessisset: ita nullus unquam Rex tantam necessitatem id petendi populo fecisset; neque Securitatem Reipublicæ Parliamentoque, hinc partam esse, nisi *Rex* bonus sit. Regi enim, si malo erga illos esset animo, non defuturum Potentię tantum, quantum sufficeret ad remoranda, retardandaq; omnia, quæ illi pro Reipublicæ bono inchoarent; & tali tandem temporis, rerumque protractione, gravato populo, majore invidia Parliamentum

onerandi, quam si talem potestatis speciem non omnino accepissent. Quod eventu probatum est; & talibus effectum temoris, dissentiente in maximis plerisque Rege, ut Parl. ipsum bello aperto petitum est. Ad emendandum Regni statum jam conversum est; ante omnia vero levandus erat populus à gravitate censuum, & à maximis incipiendum; differri igitur non amplius potuit exauctoratio duorum exercituum, ad quorum solvenda stipendia grandi pecuniarum summa opus erat, nec minore festinatione. Quapropter conflata sunt ingentis ponderis vasa argentea, & subito cusa. Capite Census tunc per totum Angliæ Regnum colligendus erat; pro quo Bilia oblata Regi est, ut signaret. Cum hac, eodem tempore, oblatæ sunt aliæ duæ; una pro amovenda Curia supremæ Commissionis; altera pro demolienda Camera stellata. Illam de Capite Censu statim signavit *Rex*; de duabus aliis paululum deliberaturus; quas tamen ambas, post tres dies (intellecta populi murmuratione) signavit quoque. Circa idem tempus discessit

sit ab Aula Regina Mater *Maria* de Medicis, quæ ante annos tres in Angliam appulerat, & in Belgium navigabat.

Populo Angliæ magnopere cupiente ab impensis tantis sublevari. Rex enim, Reginæ Matri, toto illo tempore, centum libras per diem exhibuisset. Idoneum jam visum est tempus animadvertendi in Judices eos, qui circa Vectigal illud de Classe, deliquissent. Contra quos, singulatim, accusationes compilatæ sunt, & perlectæ in Domo Communium; nam præterito mense *Decembris*, cum disceptatum fuisset in Parliamento de ea re; & crimina eorum Judicum, qui extrajudiciarias sententias suas pro ea tulissent. expendebantur, (quo tempore Finchus Sigilli Custos aufugerat) damnatum in Parliamento fuit Vectigal illud, ut exactio injusta, & illegalis.

Tres Judices juste sententias dixissent, Crookus, Huttonus, & Denhamus. Ad examinandum reliquos, videlicet, Bremstonum, Treverum, Westonum, Davenportum, & Cravvleium (nam Barclaius Perduellionis accusatus est,) Sedecim Communes electi.

lecti sunt, crimina eorum ad Parliamentum relaturi, quæ omnia hoc tempore, circa initium nempe Mensis *Augusti*; facta sunt.

Postea vero, turbatis rebus, nihil magni in eos, aut ullos fere alios Sontes statutum est. Jam enim *Rex* iter in Scotiam maturabat; quamvis à Proceribus Communibusque Parliamenti summopere oratus ut paulo longius (ad perficienda Regni negotia) in Anglia moraretur.

Affirmabat *Rex* præsentiam suam, ad res Scotiæ componendas, magnopere in illo Regno desiderari, se vero ante abitum, quæcunque oblata ab eis essent, signaturum; quod etiam fecit. Delegationem quoque signandi in absentia sua Nobilibus aliquot fecit: nempe Baroni Edvardo Littletono magni Sigilli Custodi, Roberto Comiti Manchesteriæ, privati Sigilli Custodi, Roberto Comiti de Lindsey magno Angliæ Camerario, Gulielmo Marchioni Hartfordiæ, Roberto Comiti Essexiæ, Henrico Comiti Bathoriensi, & Edwardo Comiti Dorsetiæ. Comes Essexiæ eodem tempore, per Billam

jam à Rege signatam, Dux omnium Copiarum Cis Trentam, effectus est; cum plena potestate milites, prout res postularet, comparandi, armandique.

Paululum ante Regis discessum, Comes Hollandiæ (quem ad id munus Rex & Parliamentum elegissent) in partes Regni Boreales Dux profectus est, ad exauctorandum, dimittendumque exercitum Anglicanum.

Rex decimo *Augusti* die Londino discedens, festinato itinere in Scotiam proficiscitur. Et utrumque Exercitum, antequam dimitterentur, in transitu contuebatur.

Fama est Regem, (hoc enim, scriptis, Scotus Author evulgavit) dum Scotorum exercitum colluſtrabat, clanculum pertentâsse eorum animos, an concitari possent adversus Parliamentum Anglicanum arma convertere. Hoc ut efficeret, ampla spolia ostentasse; & ad rei fidem Cimelia ingentis pretii oppignoraturum se illis promisisse. Milites autem perfidiam tantam detestatos fuisse. De veritate hujus relationis judicet lector, consideratis iis, quæ postea acci-

ciderunt. Causa autem profectionis ejus in Scotiam ignota fuit Anglis: hæc tamen ab eodem Authore prolata est pro causa, nempe ut Nobiles aliquot Scotorum, maximæ Integritatis viros, & quos destinationi suæ adversus Parliamentum Angliæ minime deservituros sperabat, aliquo modo opprimeret. Certissimum vero est circa finem *Septembris* litteras è Scotia Delegatis Parliamenti, Westmonasterii sedentibus, adveniſſe (Parliamentum enim ab octavo die *Septembris*, ad vicesimum *Octobris* comperendinatum est; & Delegatio quinquaginta Membris facta ad sedendum, durante illo utriusque Domus recessu) Insidias in exitium nobilissimorum aliquot procerum illic structas, sed detectas esse. Delegati eadem mala ex eodem fonte veriti, præsidia validissima diversis Londini locis tenuerunt.

Profectio hæc Regis in Scotiam (si nihil aliud attulit mali) negotia Reipublicæ saltem remorabatur; & omnium malorum Remedia, unde ruina timeri posset, retardabat. Nam à decimo Augusti die, quo discessit ab Urbe.

be Rex, usque ad recessum Parliamenti; nihil fere illic transactum est.

Vicesimo tertio *Octobris* die, dum Rex in Scotia moratus est, erupit atrocissima Rebellium Hybernorum rabies; qua Protestantium per totam fere Insulam, omni bellorum clade funestior, facta est laniena. In qua, quicquid efferata barbaræ Gentis, per tot sæcula jugum perpessæ, licentia, quicquid Religionis impia Dogmata, aut dira Sacerdotum irritamenta potuere, ostensum est.

Mirandum maxime qua vel arte, vel fortuna, immanis Facinoris, & late sævituri, machinatio, tam diu celari potuit; ut improvisum tandem, inopinatumque accideret; per quod, duorum mensium spatio ducenta millia Protestantium variis cruciatibus trucidata sunt. Reliqui fere omnes subito bonis spoliati; multique ex opulentissimis, una die paupertimi effecti.

Flagitium hoc vicesimo tertio die *Octobris* exequendum statuebatur. Quo die non solum Arx Dublinensis, præcipuum totius Regni Armarium, ubi

ubi recondita essent Arma pro decem hominum millibus; sed omnia, per totam Insulam, Castella, Repositoria, & Opida munita à Rebellibus occupanda erant; & cuncti vel Protestantes, vel Angli, qui se illis non adjungerent, contrucidandi. Arx Dublinensis (ad quam occupandam primarii aliquot è Rebellibus in Urbem pridie convenerant) mirifice conservata est; ne tota Hybernia uno die amitteretur.

Hoc autem ita accidit. Mac-Mahonus, unus ex conjuratis, illo forte die, in cœnopolio Dublinensi festivus, verba quædam, inter bibendum, de conjuratione illa excidere sibi passus est, coram Owveno Conallio, Johannis Clotvvorthii militis servo; aliqua sibi familiaritate antea noto. Conallius ex his quæ audierat, plura & majora colligens, è Taberna se proripuit, & rem totam supremis Hyberniæ Justiciariis detu it.

Quorum mandato Mac-Mahonus, & Maguirus ilico capti, & in carcerem conjecti sunt: His cognitis conjurati reliqui clam ea nocte ex Urbe aufugerunt.

Sed

Sed ſero fuit tantam calamitatem Regno avertere. Conſpiratores enim, ſtatuto die, per totam fere Inſulam in Armis erant; à quo die, ſingulis diebus, horiſque Dublino advenerunt miſerabiles Angli Proteſtantes, bonis exuti, nudi, & omnium egeni; damna ſua illic referentes, direptas domos, oppida incenſa, Regiones undique devaſtatas, & flagitia omnium generum à Rebellibus admiſſa.

Juſticiarii, Gulielmus Perſons, & Johannes Burlacius milites, pro ſubita ſui, Urbiſque defenſione, quoſcunque poſſent, Armis illis, quæ in Arce Dublinenſi inventa ſunt, inſtruebant, & litteras illico ad Regem in Scotia, neç non ad comitem Leiceſtriæ proregem Hyberniæ tunc electum, ſed in Anglia agentem, expediebant: pecunia defuit; nec aliunde quam ex Anglia ſperari potuit.

Owenus Conallius, qui conjurationem tam opportune detegendo, Dublinum conſervaſſet, primas litteras in Angliam adduxit, quem Parliamentum Angliæ quingentarum librarum dono, & Vectigali annuo ducentarum

tarum librarum remuneravit, & continuo maximâ curâ & sedulitate inter utramque Domum disceptatum est, quibus modis, quam citissime, miserabili Hyberniæ supperias ferrent; simul & saluti Angliæ consulerent (jam enim in Anglia trepidatum est): præcipue vero in Hyberniam intenti sunt; & in dies (depositis paululum aliis negotiis) de mittendis illuc pecuniis (quas à Civitate Londinensi fide publica mutuarent,) commeatibus, & Armis disceptatum est.

Rebellio interim in Hybernia late serpsit, regionibus undique devastatis; & multi Papistarum, maleque in Rempublicâ animati è Dublino quotidie aufugientes, Conjuratis se adjunxerunt, in quorum loco, Urbs illa quotidie spoliatorum Protestantium, illuc præsidii causa fugientium, implebatur, è quibus multi, nudi, fatigati, & fame jam enecti, miserabiliter ibi perierunt: deploranda sane tum fuit Urbis illius conditio, inter tot funesta morientium hominum spectacula, totque mœstissimas miserorum commemorationes, de interitu suorum, de eruen-

cruentissima efferorum Rebellium rabie, & variis, exquisitisque cruciatibus, per quos multi infelicium Anglorum perierunt.

Domini Justiciarii interim, quanta possent celeritate, Armis ex arce desumptis, viros aliquot generosos armassent, & impigros Duces ex Urbe misissent ad occupanda, tenendaque vicina quædam Oppida contra Rebellium Hybernorum incursum, adeo ut circa medium *Novembris*, pro patria armati sunt fortissimi viri Dominus Lambertus, Carolus Cotus, Henricus Ticgburnus, Thomas Lucas milites, Armstrongus, & Yarnerus Duces. Comes quoque Ormondiæ centum Equitibus optime armatis Dublinum advenit. Eodem tempore Parliamentum Angliæ, dum major Pecuniæ summa colligeretur, in præsens solatium miserorum, viginti millia librarum illis miserunt; & circa initium *Decembris* ex Anglia missus Simonus Harcurtus miles Chiliarchus, cum Legione sua, optime instructa, ad Dublinum appulit.

Rex eo tempore reversus è Scotia,

Lon-

Londini magna solennitate excepta est, obviam illi effusa est universa Civitas & omnium ætatum multitudo per vias tanquam ad Triumphi spectaculum, dispositæ. Civium præcipui per sodalitia sua distincti, festo cultu splendidisque (ut nunquam antea) vestibus & Armis introeuntem Regem stipantes, per totam Urbem usque ad Palatium Westmonasterienſe honorifice deduxerunt. Sumptuosa nimis, nec pro temporis conditione, videbatur quibusdam hæc Urbis Exultatio, dum Hyberniæ vulnera, dum trepidationes Angliæ percensebantur. Excusabant alii hos sumptus, ut amoris & observantiæ erga Regem testimonium per quod, dubiam ejus animam demereri sibi studuissent. Sed male cessit Reipublicæ. Hinc enim Rex coercendi Parliamenti spem (quam nimis alebant Aulici Adulatores) animo concepisse videbatur; & ad demerendos Cives intentus, præcipuos eorum Hamptincurto cõviviis excepit; quosdam etiam Equestri dignitate ornavit. Hinc voces publice jactabantur, Cives Londinenses, pertæsos Parliamen-

menti, contra illud pro Rege ſtaturos. Quas voces indigne ferentes Probi Cives, Petitionem Parliamento humillimam obtulerunt, in qua, ſinceritatem animorum ſuorum profitentur; & ſe cum illis, pro bono Reipublicæ & victuros & morituros, affirmabant.

Dum Rex Hampton-Curti morabatur, Declaratio ſtatus Regni à Parliamento edita eſt, in qua mali Regiminis incommoda, & Preſſuræ omnes, quas Reſpublica per multos annos perpeſſa eſt, indicantur. Nihil vero culpæ in Regem verbis apertis, ſed ſolummodo in malos conſiliarios rejectum eſt.

Jam neglecta videbatur Hybernia, querente paſſim Populo, miranteque quod Rex nondum Edictum aliquod in Hybernos illos Rebelles emiſerat, quod ut citiſſime faceret, enixe orabant Proceres Angli, ut melius in illos, Perduelles Declaratos, animadverteretur. Suadebant Regi, ut ſe purgandi cauſa, ſeveriſſime in cruentos illos Sicarios animadverteret. Vulgo enim jactitabant Rebelles Hyberni ſe Regis Juſſu in Proteſtantes Anglos in-

ſur-

surrexisse; Regis se authoritate egisse & Potestatem factam sibi (Diploma illius è Scotia allato) arces omnes, & castella Protestantium Anglorum occupandi: palam etiam se Reginæ milites vocabant, & ideo armatos, ut Prærogativam Regiam contra Puritanum Angliæ Parliamentum tueantur.

Hortabantur itaque Regem Consiliarii Angliæ, ut se, famamque suam vindicaret, & à tanto perfidiæ, & crudelitatis crimine, quantum vix ulli unquam (ne pessimo quidem) Principi imputatum esset, expurgaret.

Ita vero evenit, ut Rex, non ante primum diem *Ianuarii* (quamvis *Octobru* eruentum scelus erupisset) Rebelles eos edicto publico declaravit: tunc quoque mandavit *Rex* exemplaria tantum quadraginta typis excudenda esse; nec ullum eorum emittendum, priusquam ipse ulterius mandasset; ita ut paucis admodum innotesceret. Quod magis mirati sunt omnes, cum perpenderent longe aliter contra Scotos actum fuisse, quos festinato edicto, & admodum severe Rebelles pronunciasset, & edicti exemp-

emplaria maximâ diligentiâ per totum Regnum emittenda curasset.

Tunc quoque orabant Regem (ob rumores sparsos Insidiarum quarundam in Parliamenti exitium structarum) Proceres & Communes, ut Satellitium sibi in securitatem attribueret; cujus præfectus esset Comes Essexiæ. Hoc vero illis negavit *Rex*; affirmans tamen se de eorum salute studiosum fore.

Tertio die post evulgatum contra Rebelles Hybernos edictum, nempe quarto *Ianuarii*, ad Westmonasterium venit *Rex*, trecentis armatis stipatus; & in Domum Communium intravit; illic in Cathedra Prolocutoris ipse sedens postulavit quinque viros, Membra illius Domus, sibi in manus tradi; nempe Denzillum Hollesium Armigerum Comitis Claræ fratrem, Arthurum Hasselriggum militem, Joannem Pym, Johannem Hamdennum, & Gulielmum Strodum Armigeros, hi vero quinque Conventus ipsius (cui significatum esset Regis Propositum) mandato aberant, quibus non inventis, irritus Spei discessit;

sit; pauca prius apud Conventum pro-
locutus; inter alia, affimabat se quin-
que illos viros in Judicium legitimum
postulare; negabat vero (quod nis
penè exceptum est) Privilegia Parlia-
menti se aliquo modo violaturum; in
quibus conservandis, nulli hactenus
Auglorum Regi cederet.

Hoc vero sciendum est, Regem, pri-
die per Atturnatum suum Edvardum
Herbertum, Militem, Membrum Par-
liamenti, quinque illos viros, unum
etiam ex Proceribus, Baronem Mal-
devillum, postulasse; quorum omnium
(cum Parliamentum eos non dedi-
disset) conclavia, & Arculas obsig-
nasset. Postero etiam die Edicto illos
ut Perduellionis reos, apprehendi-
dos mandat.

Hoc Regis factum ab utraque domo
Parliamenti declaratum est, summam
privilegiorum Parliamenti violationem,
scandalum Regi, & Regimini illius, fa-
ctum seditiosum, quod aperte ad subver-
sionem Pacis tendat; maximam praete-
ea injuriam Praedictis viris; in quo
nulla legitima accusatio allata est, nec
aliam Privilegiorum vindicationem q

posse, quam ut Rex, eorum nomina deregeret, quorum impulsu, vel consilio hæc injussu fecisset. Orabant itaque Regem ut legitimæ eorum postulationi satisfaceret, nempe ut (quod duobus statutis *Rex* in eo casu tenetur facere) delatores indicaret; hoc tamen negavit *Rex*: tunc Attornatum ejus Herbertum super eam rem examinatum, sed nihil omnino fassum, custodiæ tradiderunt. Inopportune accidit hæc Parliamenti violatio, ad divertendas miserandæ Hyberniæ suppetias. Hoc undique clamabant Boni omnes; & in summo mœrore tunc meminerunt, quod antea a quibusdam ex Hybernia fugientium audierant; nempe sceleratos illos Rebelles palam jactitasse, nullum in Anglia perfugium miseris fore; Angliam enim in iisdem anguistiis, quibus Hybernia, futuram: statutum esse Regi, Parliamentum suum deserere, & bellum adversus eos ciere, quod cum fecisset, se quoque (perfecto prius in Hybernia opere) Angliam invasuros, & Regem adversus Parliamentum adjuturos.

Postridie, quam *Rex* modo prædi-

ctu Parliamentum invaserat, in Urbem Londinensem profectus est, ubi certatim circa currum ejus Cives aggregati humillime orabant, ut Parliamento assentiretur, & privilegia ejus nequaquam violaret, & illi Petitionem scriptam sequenti die obtulerûr, in qua humillime obsecraverunt, ut, propter miserrimam Hyberniam, cum Parliamento consentiret, præsidium illi attribueret, cum accusatis illius Membris, juste ageret, &c.

Mos erat tunc populi Londinensis (ut qui molestissime ferebant negotia Parliamenti à Rege interturbata) magnis numeris, quamvis inermes, circa Westmonasterium aggregari; ibique Petitiones offerentes, verbis asperis in Proceres aliquot quos malos Regni, Regisque consiliarios existimabant, invehi, sed male cessit Reipublicæ, non enim Rex hinc doctus est mala Populi sui persentire; sed instructus prætextu specioso deserendi & Urbem & Parliamentum, metu videlicet, ne aliquid sibi mali, in tumultuoso hominum concursu, accideret.

Hinc duodecim Episcopi, qui con-

ven-

ventui Parliamentario adesse recusarunt, contra leges, ordinationes, & statuta, quæcunque in absentia sua facta essent (tanquam pro nihilo habenda) protestati sunt; causati, se extremi periculi metu, de tumultuosis hominum concursibus, non ausos fuisse munia sua obire. Quo facto, consensu utriusque Domus, tam Procerum quam Communium, declaratum est, *hanc Episcoporum Protestationem periculosam esse Reipublicæ & Parliamentorum non solum privilegiis, sed ipsi Essentiæ perniciosam.* Perduellionis igitur accusati sunt duodecim Episcopi, capti, & Arci Londinensi in custodiam traditi.

Variis hisce Parliamentariorum negotiorum interturbationibus, retardata generaliter est Hyberniæ sublevatio; specialiter vero aliis accidentibus, quæ breviter enarrabo, infauste impedita est.

Consultum fuit de copiis in Hyberniam traiiciendis, præcipue vero & primo è Scotia; quoniam brevissimus ab illa terra transitus est. pro hoc bello Billam de auctorandis militibus in

Domo Procerum dependere *Rex* clam edoctus, ob id iratsci visus est, querens diminutionem Prærogativæ suæ hoc modo fieri, sed quoniam Hyberniæ maxime studebat, se pro hoc tempore Billam signaturum, salvo tamen Jure, & Regi & Populo. Displicebat illis hæc oratio Regis; unde Petitione declaratum est à Parliamento, Regem, disceptationem illam in Domo Procerum, de Militibus auctorandis, notando, (quod non debet, antequam ordine Parliamentaria illi præsentetur) fundamentalia privilegia Parliamenti violasse. Potestas enim libere loquendi, disceptandique singulis permissa est, nec oportet Regem opiniones ullas aut Propositiones examinare: pro læso Privilegio Reparationem petunt; utque *Rex* indicare velit cujus consilio factum est. Sed consultum est tunc de exercitu Scotorum, in Hyberniam traiiciendo. Scotorum Delegati, Londini agentes, negabant potestatem ullam à Senatu suo sibi delegatam esse, minorem numerum militum, quam decem millia, transmittendi, de hoc numero consentiebant

Com-

Communes, dissenserunt vero Proceres; nisi cautionē dare possent Communes decem millia Anglorum quoque militum transmissos quam citissime fore, quod impossibile videbatur, nec alia dissentionis hujus causa prolata est, quam ne dedecus Anglorum Genti videretur, Hyberniam non nisi à Scotis redigi posse; aut Scoti nimium ex ea expeditione lucri caperent; hæc autem levissima probis viris visa est consideratio; nec digna omnino, quæ tantum opus impediret; ubi Religionis causa, & non Christianorum miserabilis conditio auxilium imploraret.

Iterum quoque retardata est Hyberniæ sublevatio hoc modo. 2500. Scotorum militum parati erant in Borreales Hyberniæ partes transportari, de conditionibus militiæ, Scotorum Delegati octo Propositiones Parliamento Angliæ obtulerunt, quibus omnibus assentiebatur utraque Domus Parliamenti. Rex vero de una earum, tertia videlicet, ambigebat; quæ istiusmodi fuit; *quod Scoti Oppidum, Arcemque Carrifergus tenerent, cum pote-*

state illic manendi, vel ad libitum Sedes suas dilatandi, & si alia Copia in eadem Provincia illis adjungerentur, sub Imperio Scotorum Ducis militarent. De hac Propositione *Rex* se ambigere aiebat, ne Angliæ damnosa foret; eamque Parliamenti considerationi obtulit; veruntamen, si ita vellent, se cum Scotorum Delegatis de ea deliberaturum. Ad hæc Scoti respondent, Dolere se, quod ipse, Rex eorum Nativus, minus quam Anglorum Natio, illis consideret: tandem Rex (quamvis in ea re nimium temporis absumptum esset) assensum suum præbuit.

Propositiones quoque consensu Parliamenti factæ sunt (quæ optima visa est ratio redigendæ Hyberniæ) ut quotquot vellent, vel civium Londinensium, vel aliorum, pecunias deponere, in id bellum vel pro certis summis subscribere, compensandi essent bello finito, certis proportionibus terrarum per totam Insulam, quas nunc Rebelles possideant, perduellionis nomine confiscatarum: has Propositiones signavit *Rex*, quamvis primo derideret, & dicerę auditus sit, factum

dum illud simile esse venditioni Pellis Ursinæ, antequam Ursus occisus esset.

Statutum est porro authoritate Parliamenti, (consentiente etiam, & signante Rege) Bellum illud processurum, donec à Parliamento declaratum foret Hyberniam omnino subactam esse: nec ullam prorsus vel Pacem, vel Armorum Cessationem cum Rebellibus illis faciendam sine consensu utriusque Domus Parliamenti. Declaravit tunc quoque Rex velle se (si ita visum est illis) in Hyberniam traiicere: sed non idoneum visum est Personam Regis ea expeditione periclitari.

Rex infensus Urbi Londinensi, Hamptincurti morabatur, & absentiam suam excusabat metu Tumultuum, qui quotidie, sub prætextu Petitiones offerendi, Westmonasterii facti sunt. Edoctus præterea Rex fuit, quod pridie discessus sui ex Urbe [nempe octo dies post prædictum Introitum ejus in Domum Communium] magna Civium multitudo per fluvium Thamesim, Bombardis in Scaphas suas impositis, Westmonasterium perveneruntque quinque prædi-

ctos viros à Rege accusatos adduxerunt, magnis undique acclamationibus, & Protestationibus se nunquam Parliamentum deserturos.

Vicesimo die *Januarii* Rex per Internuntios suos Parliamentum hortabatur, ut omnia Regni Gravamina, & negotia, quibus assensum ejus desiderarent, in unum Corpus (quoniam singula quæque per se offerre parum longum nimis esset) digererent, mitterentque; ut simul de illis judicaret; promittens se Gratiam, Indulgentiamque optimorum Regum erga subditos æquaturum saltem, si non excessurum.

Gratias Regi pro benigna hac legatione egerunt Ordines Regni, de qua se quam citissime deliberaturos affirmant. Interim vero ab illo orant, (ut securi negotiis suis incumbant) Præfecturam Turris Londinensis Præcipuarum omnium Arcium, & totius Regni Militiæ Potestatem illis solummodo Viris attribuat, quibus Parliamentum confidere posset, & Regi recommendaret. Negavit Rex se ea concessurum, Præfecturas illas (ut præcipuum Coronæ suæ Decus & insepa-

separabile) penes arbitrium suum semper fore. Promisit tamen se nullis, nisi eximiæ fidei viris munia illa traditurum. Multæ de hoc negotio inter Regem & Parliamentum ratibnes utrinque prolatæ sunt; multæ Petitiones, & responsa utrinque missa, dum illi concessionem Militiæ importune petunt; nec minus pertinaciter negat Rex.

Rex Hampton-Curti moratus, ut Parliamenti numerum Membrorum imminueret; servos proprios, quos multos in utraque Domo habuit, à munere suo Parliamentario avocavit, & ad serviendum sibi per litteras accersivit.

Præcipue vero Comitem Essexiæ, Regiæ Domus Camerarium; & Comitem Hollandiæ de cubiculo Regio, ad se attrahere cupiebat: illi vero venire recusabant, & potius Diplomati ejus, per quod Parliamento Regni inservire tenebantur, quam privato ejus mandato obedientiam præstare eligebant: ob quam causam ambo Comites ab Officiis suis Aulicis, mandato Regis, amoti sunt.

Georgius Digbeius Comitis Briſtolliæ filius primogenitus, litteras Reginæ per id tempus miſerat ex Middleburgha Zelandiæ (quo appulerat, ex Anglia fugiens, cum Proceres Parliamenti illum, delictorum aliquot accuſatum, accerſiſſent; & ſi non intra viginti dies compareret, Perduellionis reum declarâſſent) in quibus ſignificat, quod ſi Rex animum ſuum aperte declarare vellet, & ſe in tutum aliquem locum recipere, non dubitavit, quin libere ad eum commeans, miniſteria quædam non ingrata præſtare poſſet: interceptæ ſunt Litteræ & ad Parliamentum allatæ, per quas intellectum, vel ſuſpectum ſaltem eſt Regem aliquid contra Parliamentum clam moliri, quod poſtea manifeſtius innotuit.

Menſe *Februarii* Rex & Regina, cum filia primogenita *Maria*, Orangiæ Principi nupta, ad Cantuariam profecti ſunt: ubi per aliquot dies agens (dum crebri inter eam Vrbem, & Londinum internuntii miſſi ſunt) præter cætera tranſacta, Billam de tollendis Epiſcoporum Suffragiis in Par-

Parliamento signavit Rex, illinc profecti sunt Dorobernium. Unde Regina in Hollandiam navigavit, sub prætextu filiam suam ad Sponsum devehendi; revera autem Cimelia, ad Coronam Angliæ pertinentia, secum avehens, in Hollandia oppignoravit, unde pecuniam nacta est ad Arma coëmenda, in triste id bellum Civile, quod insecutum in Anglia, & jam tum a Rege designatum videbatur.

Post discessum Reginæ, Rex, adductis secùm Carolo Principe, & Jacobo Eboracensium Duce, ad Villam suam Theobaldum profectus est. Ubi Petitio, primo die *Martii*, à Parliamento ei oblata est: in qua humiliter orant, ut Militiam (de qua prædictum est) illis concedat; ut prope Londinum, ad transigendas res Reipublicæ, morari dignetur; & ut Principem Filium non avehat; quæ omnia negavit Rex, & continuo ad Villam suam Nevvmarkettum proficiscitur.

Illic oblata est Ei Declaratio utriusque Domus Parliamenti; quam adduxerant Comites Pembrochiæ, & Hollandiæ, cum generosis aliquot Com-

Communibus. In qua, enumerata sunt præterita aliquot, sub imperio ejus, populi gravamina; ut impium contra Scotos bellum concitaverat; ut cruentos in Hybernia Rebelles (probabiliter) incitassent Consiliarii ejus; ut Exercitum Anglorum, anno præterito, contra ipsum Parliamentum adducere conatus esset; ut contra privilegia Parliamentorum, Domum Communium invaserat; cum cæteris ejusmodi.

Affirmatum est denique Regem immerito metum obtendere manendi prope Londinum, & longius procedere, non aliam ob causam, quam ut Rempublicam, & negotia ejus turbet, ut suppetias Hyberniæ impediat; & malevolos per totam Angliam incitare possit: ad quæ, pro præsenti, magna indignatione respondet Rex; postea vero longa Declaratione, typis excusa, de illis disseruit: In qua conatus est quædam eorum, quæ objecta sunt, coarguere, quædam extenuare, excusare alia; illos vero insimulat, quod vanos timores insidiarum confinxissent ad illudendum Vulgus: post

discess-

discessum Comitum & reliquorum à Theobaldo; Rex in nihilo prorsus (nisi verbis tantum & precibus) à Parliamento inhibitus, magno Bonorum omnium luctu, & timore, usque ad Eboracum progressus est.

Interea vero Ordines Regni in Parliamento multum in malos Regis (ipso vix nominato) consiliarios invehuntur. Contra illos Vota sua, & Decreta evulgant; tria potissimum.

1. *Quod Absentia Regis tam longe à Parliamento sua non tantum obstructio esset, sed etiam Destructio omnium conatuum pro Hybernia sublevatione.*

2. *Quod quandacunque Proceres & Communes Regni in Parliamento legitime convocati jus pronuntiant, legemque Regni declarant, Decretum illud non tantum in dubium vocare, vel impugnare; sed Imperare ut obedientia illi non præstetur, summa esset privilegiorum Parliamenti violatio.*

3. *Quicunque suadebant Regi à Parliamento abesse, hostes sunt patriæ Angliæ, & fautores justo consendi Rebellionis Hyberniæ.*

Quarto die Aprilis, Anno 1642. Rex

ab Eboraco per Nuntios suos Parliamento significat, se in Hyberniam trajecturum, & bellaturum in propria Persona contra cruentissimos illos Rebelles. Statuisse igitur, per Delegatos apud Cestriam, Militum Satellitium (qui Personam ejus in Hybernia stiparent) duo nempe Millia Peditum & Ducentos Equites comparare: quos omnes armis instruere vellet ex Armamentario suo in Hulla Opido.

Illi vero suspicati (tam ex interceptis Digbeij litteris, quam aliis circumstantiis) Regem ad Boreales Angliæ Partes non aliam ob causam profectum esse, quam ut armamentarium Hullæ occuparet; quo milites contra Parliamentum armaret, Petitionem illi miserunt orantes ut sineret Armamentarium illud ad Turrim Londinensem transportari; ad quod efficiendum, Johannem Hothamum Militem Hullam miserunt, ad capiendam Opidi illius Præfecturam. Quam Præfecturam Rex Comiti de Novo Castello demandârat. Hothamus igitur Opidum ingressus, Comitem exclusit. Rex spei irritus vehementer

ira

ita exeunduit; & vicesimo tertio die *Aprilis*; Ipse Nobilibus, Generosis, & Militibus quibusdam comitatus ad mœnia Hullæ accedens, introitum postulavit. Sed occlusæ sunt Portæ; & Hothamus de Muro respondens, flexis Genubus, humillime oravit Regem, ne id mandaret, in quo ipse, sine Fidei violatione, Majestati ejus obtemperare non potuit. *Rex* ingressu prohibitus, Hothamum Perduellem Edicto declaravit; & litteras expostulatorias de tanta injuria, & Majestatis suæ contemptu ad Parliamentum misit.

Illi Regis animum verbis humillimis delinire conati, factum tamen Hothami justificant; & postea declarant contra leges Angliæ, & libertatem Subditorum factum fuisse, denunciando Hothamum Perduellem sine legali forma. De hoc negotio, intra breve tempus, multæ utrinque Declarationes factæ sunt, multa Argumenta ex legibus & statutis Angliæ desumpta, & contraria invicem mandata tam à Rege quam à Parliamento audita sunt, dum Parliamentum Hothamo pote-

potestatem dat cogendi milites ad Hullam defendendam: Rex è contra, milites armari, nisi authoritate sua, vetat.

Rex Eboraci degens, per literas suas mandatorias, quotidie emissas, per Comitatus Boreales, Generosos omnes, & Incolas locupletes evocavit, ut Eboracum ad serviendum sibi convenirent. Frequenter etiam per oppida vicina, & Pagos ipse itinerans, comiter cunctos appellando, de periculo sibi à Parliamento impendente, deque necessitate satellitii comparandi, ad stipandam Personam ejus cupiose, & diserte peroravit. His actibus multos in partes suas brevi pertraxerat, & milites aliquot comparasset, dum Parliamentum Londini sedens declarat tales actiones, talemque Militum concitationem, ad Pacem Regni disturbandam, contra leges & libertates Populi censendas esse.

Dum sic Declarationibus & Edictis utrinque ventilatum est; & Rex cohortes militum (sub nomine Satellitii sui) quotidie armavit; Parliamentum paulatim ad disponendam militiam

Regni

Regni per quosdam Comitatus, & Classem Regiam occupandam se accingunt.

His discordiis, quamvis Bellum timeri cœperat, nondum tamen omninò de Pace desperatum, donec Parliamentum à tot Membris suis, tam Proceribus, quam Communibus, desertum est; qui omnes, relictis sedibus suis, Westmonasterii, ad Regem, Eboraci tunc agentem, transfugerunt.

Incepit hæc tam magna Membrorum defectio circa finem *Aprilis* 1642. & per totum sequentem *Maium* continuabatur, quo spatio, multi Proceres, quidam à Rege accersiti, reliqui timore, vel ambitione ducti, alii post alios, ad Regem quotidie pervenerunt, quorum hi de Procerum Domo, Dux Richmondiæ Marchio Hartfordiæ, Comites Lindseiæ, Cumberlandiæ, Huntingdoniæ, Bathoniæ, Southamptoniæ, Dorsetiæ, Northamptoniæ, Devoniæ, Bristollii, Westmorlandiæ, Bercæ, Monumethi, Bivari, Novicastelli, Dorobernii, Canarvani, & Novæ Portæ: Barones hi, Mactevers, Wibloughbeius de Eresby, Richius, Houar-

Houardus de Charleton, Nevvarkus, Pagettus, Chandoisius, Falconbrigius, Paulittus, Lovelacius, Savillus, Coventreius, Mohunus, Dunsmorus, Seimorus, Graius, Capellus.

Multi etiam de domo Communium (quorum nomina perlongum esset recitare) intra id tempus, fidem suam populo datam non præstantes, à Parliamento ad Regem aufugerunt.

Luctuosa omnibus, & nihil nisi funestum Regno productura, videbatur hæc Membrorum Parliamenti defectio. Multæ passim apud Vulgus auditæ querelæ, & Bonorum adversus illos viros expostulationes; Quo (inquiunt) hoc tendit, nisi ad subvertendam supremæ Curiæ dignitatem, authoritatemque; ad nutriendum, augendumque Regis odium in Parliamenta, ad animandum in sceleribus suis Rebelles Hybernos, & omnium malorum impunitatem.

Hæc dum fiunt, frequentes Regi petitiones, ut ruinam populo imminentem avertat, oblatæ sunt, & vicesimo die *Maii*, missi sunt à Parliamento, qui humillime orarent, ut Rex

pro

pro salute sua (uti consuevissent Majores ejus) præsidio Legum, & populi sui affectionibus confideret; ut usitatis stipatoribus contentus, reliquas copias exauctoraret: se alioqui, pro pietate in Deum, Charitate in Patriam, fiducia à populo commissa, & authoritate legibus sibi data teneri, ut modis omnibus conentur Pacem Regni, & salutem Parliamenti conservare.

Hinc evenit, ut in hunc modum declaratum sit à Parliamento.

1. *Primo, Apparet, Regem, à malis consiliariis seductum, bellum concitare contra Parliamentum, contra eos, qui in omnibus & actionibus, & consultationibus non aliud sibi proposuerunt, quam ut Regno incolumitatem, & Personæ ejus fidelissimum præstarent obsequium.*

2. *Secundo, Declaratum est, Regem, quandocunque bellum inferet Parliamento, Ius jurandum violare, Fidem Populo non præstare; quæ ad dissolutionem regiminis ejus spectant.*

3. *Tertio, Quicunque Regi, in tali bello, serviunt aut opitulantur, Perduelles, secundum fundamentales Regni leges, censendi sunt (ut duobus statutis adjudica-*

dicatum est, Anno 11 Richardi *secundi* & 11 Henrici *quarti*) *& ut Perduellis puniendi.*

Proceribus, qui Parliamentum deseruissent, Eboraci manentibus, Novem ex eorum numero illi videlicet, qui primo abierunt, à Parliamento tricesimo die *Maii* citati sunt, ut Westmonasterii comparerent; videlicet Comites Northamptoniæ, Devoniæ, Dorobernii, & Monumethi; Barones, Houardus de Charleton, Richius, Greius, Conventreius & Capellus. Illi vero redire negant, & Responsum litteris mittunt; quod à Parliamento responsum superbum, & fastidiosum judicatum est.

Solenni igitur Judicio (post varias in utraque Domo disceptationes de crimine eorum) hæc Sententia in illos pronuntiatur Domo Procerum. 1. Quod novem illi Nobiles non amplius, ut Membra Parliamenti, in conventu illo sederent.

2. Ut omnium Beneficiorum & Privilegiorum Parliamentorum incapaces essent.

3. Ut durante Curiæ placito incarceran-

standi essent. Postulantur quoque (nomine utriusque Domus) hi Novem, ut censuræ Parliamentariæ se submittant.

Aliud postea damnum Parliamento accidit. Baro Eduardus Littletonus quem Rex post Finchii fugam magni sigilli Angliæ Custodem fecerat (qui fidus visus est Parliamento, & Westmonasterii, post fugam reliquorum aliquandiu permansisset: quique pro potestate Militiæ Regni disponendæ Parliamento suffragatus fuisset.) Juveni Aulico Elioto clam illi misso à Rege, Sigillum Magnum Angliæ in Manus tradidisset; qui ad Regem detulit. Sigillo amisso, non ausus manere Littletonus, se quoque clanculum postero die ad Eboracum contulit.

Littletonus multum incusatus Londini (magni enim Sigilli transportatio res magni Momenti videbatur) literis suis ad quosdam proceres secreto missis, seipsum excusavit, ob traditum Elioto Sigillum, in hunc modum; Juravisse se secreto Regi (cum honorem illum adeptus est; se quandocunque missu-

missurus sit Rex, traditurum Sigillu
nec jusjurandum illud, salva consci
tia, posse violati credere; hoc solu
modo pœnitere, quod Sigilli cus
diam tam infelici conditione accep
se: qua Littletoni excusatione, inn
tuit Proceribus, quo animo Rex et
Parliamentum jam tum fuisset. Na
initio fere hoc factum est.

Rex Sigillum Magnum apud se re
ctus, Proclamationes varias, & Edi
statim evulgavit, & inter cætera, quo
nemo Mandatis Parliamenti de dis
nenda Regni Militia, obedientiam pr
staret; è contrario, Ordines Regn
vetuerunt Milites aliquos auctora
armarive jussu Regis, sine Parliamen
authoritate.

Nec terrestrem tantum Militiam
disponere, sed Classem quoque Re
giam, pro defensione Regni contra
exterorum invasiones, occupare co
nantur Ordines Regni. Comes igitu
Varvici, Vir summa fidelitate, & rebu
Navalibus peritia, Ordinatione utri
que Domus *Parliamenti* Thalassiar
cha Angliæ electus est. Rex Munu
illud Johanni Peningtono Militi de
man-

mandasset, loco Comitis Northumbriæ (nuper Thalassiarchæ) & Comiti Varvici mandatum misit, ut præfecturam illam Peningtono resignaret: sed Varvicensis Parliamento potius obtemperare voluit; tantumque virtute & consilio egit, ut brevi, tota Classe potitus est; quamvis multi Navium Duces primo resistebant; &, propter Regis mandatum, Peningtono favebant, quos omnes Varvicensis privavit; & initio præfecturæ suæ, non solum bono omine, sed magno Roboris sui additamento, navem permagnam, Leonem nominatam, ex Hollandia ad Regem adventantem, armis & pulvere Bombardico onustam cepit.

Desperatum est jam de reditu Regis ad Parliamentum: nequicquam enim Propositiones missæ essent; Decimo igitur die *Iunii* à Parliamento decernitur, Arma pro defensione libertatis capienda: & ad promovendam causam publicam, pecunias, aut vasa Argentea (ut cuique suppetebat) alacriter & magna copia in Gazophylacium adduxerunt homines, nec non (hortante Parliamento, & fidem pu-

blicam pro repensione accommo
tibus dante) Arma, equosque i
bellum contulerunt.

Eodem tempore Pecunias & A
acceperat Rex ex Hollandia, o
gneratis illic Regni Cimeliis, quæ
gina, ex Anglia discedens, secum
vexerat. Quibus instructus, *Com
siones suas ad arraiandum & trian
universos homines Armis idoneos* (
enim in Anglia genus est Diploma
quod emittunt Reges pro defens
Regni contra subitas Exterorum
vationes; sed in hac causa illegiti
omnino à Parliamento iudicatum
continuo per totum Regnum, &
gulos Comitatus emittendas cu
Rex.

In hoc Diplomate (quod in l
brium Parliamenti videbatur fact
iisdem verbis, quibus in decretis
Parliamentariis Ordines Regni u
sent, frequenter etiam usus est R
Illi enim, cum populum ad pecun
& toreumata contribuenda hortaba
tur, protestati sunt, *se Arma ca
ad propugnandam Religionem Prote
tium, ad defendendam Regis Perso*

Di

Dignitatem, & Authoritatem; pro legibus, pro libertate populi, pro pace Regni, & privilegiis Parliamenti.

Rex quoque iisdem verbis in illo Diplomate testatus est, se Arma capere *ad tuendam Religionem Protestantium, ad conservandam suam Personam, Dignitatem, Authoritatem, & pacem Regni; nec non pro defensione Legum, Libertatis populi, & privilegiorum Parliamenti.* Et quum Ordines Regni in decretis suis pro dispositione Militiæ consueti essent dicere, *se coactos esse præsidium sibi comparare contra Malignam aliquorum Hominum Factionem, per quam periclitatur persona Regis*; Rex etiam his verbis, de Maligna hominum Factione, & de periculo personæ suæ utebatur: ob quam causam publice hortatus est cunctos, ut pecunias, ut Vasa Aurea vel Argentea, ad cudendos nummos, sibi accomodarent, vel Equos Armaque adducerent; nec frustra fuit hæc adhortatio. Multi enim Nobiles, Generosi, aliique, hæc omnia Regi abunde ad promovendum tam triste bellum, suppeditabant.

Rex vero inter tot tantosque Belli

apparatus, Eboraci, coram Proce-
bus, aliisque qui Parliamentum de-
ruissent, magna solennitate, ut in co-
spectu Dei Omnipotentis, protesta-
est, se non omnino statuere, Bellu-
contra Parliamentum concitare, Pr-
sidia tantummodo pro salute s-
comparare, Protestantium Religi-
nem, libertates subditorum, & pri-
legia Parliamenti vindicaturum.

Quibus dictis, Nobiles illi præsen-
protestationem quoque suam (ut c-
ram Deo) fecere, cui etiam litte-
traditæ nomina subscripserunt; vi-
licet se revera credere Regis anim-
dictis illius consentire, illum non
mnino Bellum contra Parliamentu-
concitare; sed omnes illius conat-
ad defendendam Protestantium Re-
gionem, libertates subditorum, & p-
vilegia Parliamenti tendere.

Postea Eboraco discedens, mul-
in locis, Urbibus, Villisque, disc-
coram Populo peroravit Rex, freque-
ter protestatus se libertates subdi-
rum, & privilegia Parliamenti defe-
surum. Et post paucos dies Eborac-
reversus, exercitu trium millium p-
ditus,

dum, & mille Equitum contracto, ad obsidendam Hullam proficiscitur; postquam Edicto publico mandâsset, ne quis auxilium aliquod Opido illi ferret, aut Copias illuc adduceret.

E contrario, Ordines Regni Declarationem suam pro tuenda Republica, & conservando Opido Hulla, divulgabant; compensationem damnorum omnium, quæ Aquarum restagnatione (ad defendendum Opidum necessaria) aliquibus evenirent, Fide publica promittentes. Appropinquante Rege, Hothamus Hullæ præfectus, ante inundationem tempus dedit Incolis ad amovenda bona sua, pecudesque. Johannes Meldramus, Eques auratus, Militiæ peritissimus, Hothamo tunc Assistens, cum quingentis Opidanis, facta subito eruptione; Regios fortissime adortus multos in fugam compulit, cæsis, captisque nonnullis.

Nec multo post Meldramus majore vi (postquam quingenti Milites è Londino missi, Hullam appulissent) eruptione rursus facta, maximam Obsidentium Partem incomposite re-

trocedere coegit, viginti eorum ca
captis quindecim, & fortunam sec
tus usque ad Aulbeiam pervenit, ub
Regis reposita arma, & pulvis Bom
bardicus in Horreo servabantur. Qu
omnia primo impetu cepit Meldu
mus, & Horreum incendit: post qu
damna, Rex de sententia concilii su
Militaris, obsidionem solvit, & ab
Hulla discessit.

Duodecimo die *Iulii* deliberatu
est in Parliamento de cogendo exe
citu, & statutum tandem exercitu
illum non aliam ob causam, quam
pro conservanda Regis Persona, & de
fensione Parliamenti comparatum e
se. Comes Essexiæ Vir fortis, & fide
integerrimæ, utriusque Domus con
sensu & applausu Imperator summu
electus est.

Procores aliquot, & Communes a
Comitatus singulos missi sunt ad e
sponendam pro Parliamento Militia
Angliæ, & multi Generosi, Memb
utriusque Domus Parliamenti in e
ercitu Imperatoris Comitis Esse
conscripti sunt, & Tribuni facti.

Diplomata Regia, [Commissione

ad Arraiandum vocata] eodem tempore in omnes fere Comitatus emissa sunt; &, quamvis illegalia à Parliamento judicata sunt, plures tamen multis in locis, Diplomatibus illis obedientiam præstabant, quam Ordinationibus Parliamentariis de Militia disponenda. Quoniam tam multi Nobiles, & Generosi jam Regi adhærebant, spreto Parliamento: adeo ut in omnibus fere Comitatibus inter Diplomata Regia, Parliamentariasque Ordinationes decertatum est, magno utrinque Nobilium, aliorumque numero arma capiente; & Edicta, scriptaque omnia, inter gladios, spreta.

Vrbs etiam ipsa Londinum discordiis laborabat; cives aliquot opulentiores Regiis partibus favebant: inter quos præcipuus [ut primus dignitate] fuit Major Vrbis, Richardus Gurneius Miles: cui inter cætera crimina, objectum, quod Commissionem Regis ad Arraiandum [illegitimam à Parliamento judicatam] in Vrbe divulgandam curâsset.

Gurneius ipse authoritate utriusque

Domus Parliamenti in custodiam traditur Turri Londinensi; & postea ad dicendam causam, coram Proceribus citatus, cum se purgare non posset, Sententia in illum hujusmodi lata est.

1. Vt Majoratu suo privaretur.

2. Vt nunquam postea publico aliquo munere vel in Civitate, vel in Republica fungeretur.

3. Vt omnium dignitatum, vel titulorum, quæ à Rege deinceps referri possent, incapax haberetur.

4. Vt in custodia, durante Parliamenti placito, detineretur.

Eodem tempore multum & acriter inter Parliamentum & Regem Chartaceis telis (id est Edictis, Proclamationibus, & Declarationibus) conflictatum est. Rex Edictum publicum in Comitem Essexiæ, ut Perduellem, & in alios omnes, qui partibus illius, nempe totũ Parliamentum, adhærerent, evulgavit.

Declaratio à Parliamento facta est; in qua, mala, quæcunque Respublica sub Rege passa esset, enumerantur; præcipue vero quæ nuper acciderant; quæque contra Hyberniam fecisset Rex, enarrantur, & quomodo Vestes, Com-

Commeatus, Arma, & quæcunque à Parliamento ad sublevandam Hyberniam mitterentur, abstuliſſent Regii.

Rex ad colligendas Copias ultrò citroque progreſſus, multis in locis coram populo concionatur, amorem ſuum erga Rempublicam proteſtatus: ad Nottinghamiam tandem, Menſe *Auguſto* perveniens, Vexillum Regium illic erexit. Ad quod nullus fere omnino concurſus hominum factus eſt. nec potuiſſet tunc Rex, copiis fere deſtitutus, manus Parliamentorũ, ſi ſequi voluiſſent, evadere. A Nottinghamia 25 die *Auguſti* Legationem Parliamento per Nuntios ſuos Comitem Southamtoniæ, Comitem Dorſetiæ, & Johannem Culpeperum Militem miſit Rex; Hortatus, ut Delegati ex utraque parte fierent, qui inter ſe de differentiis his exagitantes, conditiones pacis [ſi fieri poſſet] idoneas ſtatuerent.

Reſpondent Ordines, ſe non poſſe [illæſis Privilegiis Parliamentariis, & fiducia populi ſalva] ullo modo per Delegatos agitare, donec Rex Vexillum ſuum tollat, & Proclamationes,

in quibus omnes utriusque Domus Parliamenti [inauditum sæculis prioribus] Perduelles, & Rebelles nominat, revocare velit.

Rex negat Vexillum suum contra Parliamentum erectum fuisse. Negat præterea se illos Rebelles nominasse. Comitem vero Essexiæ in Diplomate suo ad Marchionem Hartfordiæ, Comitem Cumbriæ, & Baronem Strangium dato, iterum Rebellem vocat. Tali modo, variis nuntiis, Declarationibus & Edictis diu discepatum est inter utramque partem: sed incassum omnia cecidere, nec averti potuit funestissimum Bellum.

Initio *Septembris*, Principes Rupertus & Mauritius, secundus, tertiusque filius Frederici Electoris Palatini, & Bohemiæ Regis, in Angliam appulere, ut sub Avunculo Rege Carolo militarent; & Ductores illico facti sunt.

Rupertus Impiger Juvenis, & Ingenio ferox, turmis aliquot Equitum præfectus huc illuc prædabundus volitabat, Arma equosque pro Rege rapiens, & quoscunque bene animatos erga Parliamentum compererat, crudelius

delius mulctans, quo audito, Hostis à Parliamento judicatur, & Perduellionis reus.

Rex ipse diverso itinere progressus est; & collecto milite, per Comitatus Derbiæ, Leicestriæ, & Nottinghamiæ incedens, Incolas armatos ad stipandum se convenire jubet, quibus Arma abstulit; & pecunias imperavit; Protestatus tamen [more suo] se Protestantium Religionem, Leges, Libertates subditorum, & privilegia Parliamenti defensurum.

Imperator Essexius, nono die *Septembris*, à Londino, magno undique spectantium populorum applausu, discedens, ad exercitum suum venit: qui jam Northamtoniæ convenerat; Equites Peditesque circiter quatuordecim millia. Petitio Parliamenti, Regi præsentanda, Essexio traditur, in qua Oratus est Rex, ut Personam suam subtraheret à Nefariis illis hominibus, qui eum seduxerant, neve periculum cum talibus suum commisceret, cum multis ejusmodi obsequium Regi demonstrantibus.

Rex Vigorniam Vrbem occupare

cupiens, Rupertum cum expeditis Equitibus illic præmiserat: quod veritus Essexius, ut Regem anteverteret, copias aliquot subito progredi jubet; ipse cum toto Exercitu secuturus.

Præliola vero inter præmissos illos Parliamentarios & Rupertum prope Vigorniæ muros, ante adventum ipsius Essexiæ, acciderunt, ita ut inceptum jam bellum aperte fuit.

Sed Rupertus celeritate maxima, cum jam in conspectu Antecursores Exercitus Essexiani habuit, è Vigornia aufugit.

Essexius, præsidio militum Northantoniæ relicto, ad Coventreiam progressus, Præsidium illic quoque imposuit: & alterum Varvico; quo digressus, Vigorniam cum exercitu venit, ibique moratus est.

Rex eo tempore Turmis aliquot Equitum stipatus Salopiam venit, quo etiam Officinam cusoriam secum advexit, & vasa Argentea, Aureaque, quæ in magna quantitate, Nobiles, Generosi, aliique multi contribuissent, illico conflavit; ad pecuniam pro stipendiis Militum cudendam. Dum

Rex

Rex Salopiæ moratur, incredibili militum numero undique confluentium subito auctus est; adeo ut intra tres Septimanas Exercitum, 6000. Peditum, & 4000. Equitum comparasset. Quibus copiis Southamum progreditur. Tam diu vero moratus est Vigorniæ Essexius, dum *Rex* comparato magno exercitu, & Salopia digressus, jam unius diei Itinere propior Londino fuit quam Essexius, unde in ipsa Urbe trepidari cœpit, præsidia comparari, & ad tuendum Vindesoriæ Castellum milites missi.

Veritus tum ne *Rex* Londinum versus progrederetur, sequi quam celerrime statuit Imperator Essexius; relicta post se ob festinationem, magna copiarum parte una cum Tormentis maximis.

Quibus animadversis, *Rex*, ne opportunitatem dimicandi tantam omitteret, priusquam reliqua Pars exercitus Parliamentarii adjungeretur) flexo Itinere contra Essexium progreditur: nec detrectavit Essexius.

Regio Capmestris est prope Keingstonum Pagum in Comitatu Varvicensi,

censi, nec longius viginti stadiis à Pago, Mons editissimus, quo insedit Regius Exercitus. infra convallis ampla, de *Equo Rubro* nominata. Hic primum ad Manus ventum est, descendentibus alacriter de Monte Regiis, & appropinquantibus à Keintono Parliamentariis: magnis utrinque animis, nec minore cæde inceptum est Prælium, hinc Comite Lindesceio Regii exercitus Imperatore suos adhortante, & strenui Ductoris officio fungente; inde Essexio non minus Militis quam Ducis partes fortiter peragente.

Primo fere congressu, Princeps Rupertus; qui in dextro Regiorum Cornu Equitibus imperabat; ferociter in sinistrum hostium Cornu invectus (quo magna Pars Equitum stabat) tanta vi irrupit, ut universos Equites in fugam vertit, quo terrore, Pedites quoque, Equitum Præsidio destituti, aufugêre. Rupertus fugientes, longius insecutus, & prædæ nimium cupidus, dum spoliis colligendis, & Sarcinis hostium diripiendis tempus fecit, amissæ victoriæ (jam penè in manibus parta)

partæ) causa fuit. Nam in sinistro RegiorumCornu non eadem fortuna. Quod Gulielmus Balforus Miles, tam fortiter invasit, ut omnes illic Peditum Ordines disturbaret, & Tormenta Regis bellica caperet, hic atrox ingruebat pugna, hic captum est vexillum Regium: sed brevi amissum. Hic cæsi, captique sunt fortissimi viri, inter cæteros ipse Imperator Regius, Comes Lindseius (qui paucis post horis à vulneribus mortuus est.).

Nox Prælium diremit, & Recessum utrisque præstitit.

Vendicata Utrisque Victoria fuit; & Publicæ Deo Gratiæ actæ tam à Rege, quam à Parliamento, utrinque enim victoriæ signa (ut capta Insignia, Vexilla, & Tormenta bellica) apparuerunt: de numero occisorum nequaquam convenit; utrisque falsa prædicantibus. Creditum est ex duobus exercitibus plusquam quinque millia (plures tamen è Regiis) in eo prælio cecidisse.

Imperator Essexius Coventriam, ad reficiendum exercitum, proficiscitur; Rex ad Oxonium, tanquam in hyberna,

berna, ſuos adducit. Rupertus poſt paucos dies cum expeditis Equitibus prædabundus, multis in locis nocte dieque graſſatur, opida, vicoſque diſpolians; & longius ab Oxonio progreſſus, formidinem ipſi Urbi Londinenſi incutit; adeo ut Imperatorem Eſſexium (qui ſequi Regem deſtinâſſet) orarent propius Londino Exercitum admovere. Eſſexius ſeptimo *Novembris* die Weſtmonaſterium pervenit (collocato vicinis Pagis exercitu) ab utraque Domo Parliamenti honorifice exceptus, & donatus quinque millibus Librarum, ut Honorario, & gratitudinis agnitione pro virtute ejus & opera Reipublicæ impenſa.

Dum Eſſexius Londini moratur, alterum accidit non incruentum Prælium, ſic facta occaſione. Ordines Regni Bellum tam funeſtum impiumque deteſtati, ſimul Angliam conſervare, & Hyberniam recuperare ſtudentes, Regi, tunc Colebrochiæ agenti, Delegatos, cum Petitione, Comites Northumbriæ & Pembrochiæ, Dominum Wainmannum, Perpointum, & Ipſicium mittunt, ut de Pace agitaretur.

Per-

Perhumane respondet Rex, testatus Deum, maximo sibi dolori esse miserias Populi, seque ad Pacem promovendam, alicubi prope Londinum mansurum; & libentissime cum illis de conditionibus Pacis acturum.

Vix digressis hoc placido Responso Delegatis, ecce Tormenta Regis Bellica provecta sunt, & cum Equitibus per Colebrocham, versus Londinum movebantur: ad Brainfordiam celeriter caligine (quæ tunc forte acciderat) tectus Regius Exercitus Copias aliquas Parliamenti, partem Legionis sub Tribuno Hollesio, quæ illic diversabantur, adortus; haud dubie omnino deleviſſet, nisi duæ aliæ Legiones, sub Imperiis Baronis Brookii, & Tribuni Hamdeni, quæ non procul stativa habuere, in auxilium sociorum accurriſſent: acriter admodum pro numero militum, pugnatum est; donec nox prælium diremit. Cæsis captisque utrinque quamplurimis, & utrisque (ut antea in Kentonensi prælio) se Victores jactantibus.

Imperator Essexius, Nuntio tam inopinatæ pugnæ Westmonasterium allato

allato (quo etiam Tormentorum strepitus auditi) equo conscenso Brainfordiam maxima celeritate tendit; sed finita pugna, retro cesserat Rex. Tota illa Nocte, effusæ è Londino Copiæ, magnum exercitum postero die, nempe 14 *Novembris*, Brainfordiæ effecerunt, Ut videretur jam Rex undique circumseptus, & finitum forsan Bellum, nisi fatali quodam Parliamentariorum errore, elapsus esset.

Tria millia Parliamentariorum Kingstoniæ confederant: qui omnes jussi sunt ex opido illo, per Comitatum Surriæ incedere, & Pontem Londinensem transgredientes, per Urbem, Brainfordiam versus progredi, ut sic Hostes Londino prohiberent; tanti erroris causa fuit, quod Imperator Essexius sub noctem (nequaquam tanti exercitus adventum ex Urbe sperans) satis habuit, si Londinum totis viribus suis ab Hostis introitu defendere potuisset.

Sic dilapsus est *Rex*; & per Kingstoniam, jam à Parliamentariis relictam, incedens, hostiliter omnia diripiens, tutus Oxonium regressus est.

Or-

Ordines Parliamenti, dum hanc Regis Actionem reputant, nihil boni de agitandis conditionibus Pacis cum illo sperantes, unanimi consensu decernunt Essexium, contractis celeriter Copiis, Regem bello prosequi: ad hoc magis extimulabatur Parliamentum, Londinensium Votis alacribus, orantium; *ne amplius cum Rege de pace agitarent; qui pravorum Consiliis seductus, fallaciter illos eludere non dubitaverit: Debiles esse jam copias ejus, & opprimi posse, si Essexius sine mora persequatur: si vero alacriter pro Parliamento vitas suas, & fortunas omnes depositures.*

Gratias Urbi Londinensi pro hac Petitione, & Protestatione, egit Parliamentum; & secundum eorum Vota decretum est.

LIBRI PRIMI FINIS.

PRO-

PROGRESSUUM BELLI CIVILIS ANGLIÆ, BREVIS MENTIO.

LIBER SECVNDVS.

EXORDIA civilis Belli, Series etiam causarum, quibus exarsit, nec non Gradus ipsi, per quos processit, breviter omnia, & dilucide hactenus enarrata sunt. Quæ sequuntur, tantæ sunt molis, sed tam varii generis, & minutatim scissa; ut vix Historicus aliquis, nedum ipsa Historia, sufficere valeat, ad tot particularia plene contexenda. Nobis tantummoda mentionem aliquam de tanta varietate, non enarrationem, facere, animus est.

Processit enim atroci sævitia civile Bellum multis simul in locis; & conceptum Incendium per omnes Regni partes, non scintillas tantum, sed flammas vastatrices undique ejaculabatur. Nec in tot Comitatus quot Bella divisum est Angliæ Regnum. Vix plures agri

agri quam campestres Pugnæ, nec Urbes quam obsidia; non Urbes tantum, & Opida, sed Nobilium Ædes & Magnatum passim Palatia pro Præsidiis bellicis habebantur. Pugnatum est Terra, Marique; & per totam Angliam (liceat paulisper Patriæ malis ingemiscere) triste spectaculum! Vici passim rapinis & incendiis afflicti & squallentia arva, Armorum segete perhorrida conspiciebantur.

Quæ secuta est Æstas, anno videlicet Salutis 1643. tristis aliquandiu processit Parliamento; & causam libertatis damnasse visa est Fortuna, adeo victoriis, & successibus exultabant Regiæ Partes; & ubique fractæ Parliamenti Res: propiusque fuere ruinæ

Quàm sperare datum.

In Occidente Wallerus Parliamentarius Dux, qui feliciter sæpius pugnasset, qui Hoptonum Regium penè debellasset, aliosque ejusdem Partis Duces variis cladibus afflixisset, ipse tandem, Mense *Iulii*, à Wilmoto, & copiis Regiis ab Oxonio missis profligatus est; & amisso toto Exercitu, nullo

nullo fere comitatu Londinum redii. Fortunam Campi sequebantur Urbes & munita Opida; Maxima munimenta totius Occidentis, Bristollia Principi Ruperto, Exonia Mauritio dedita sunt.

Eodem tempore in Borealibus Regni Partibus similis Fortuna; ubi Baro Fairfaxius qui cum fortissimo filio diu, & pro numero militum feliciter dimicans, Parliamenti Partes sustentâsset; tandem à Potentissimo Hostis Comite de novo Castello oppressus, copiis fere omnibus exutus, & in Hallam Oppidum compulsus, ibidem obsessus est.

Ipse Imperator Essexius, decrescente indies exercitu, cum pars morbo absumpta; pars inopia & egestate signa deseruissent, (impar jam hosti) cessit campis; & Londinum versus rediens Kingstono nudas illas copiarum reliquias, dum vires renovare posset, disposuit.

Nihil jam tutum Parliamentariis; fractæ passim vires: Regii è contra, exercitibus, equis, armisque formidabiles, Occidentis totius, Walliæ, & Bo-

Borealium Partium, usque ad Scotiæ limites, Victores, nihil copiis suis invium putabant. Vna solummodo in mediterraneis Regionibus (quam cupiebat Rex) restabat Vrbs Gloceſtriæ, fida adhuc Parliamento. Hanc *Rex* indignabundus (utpote post Briſtolliam, & Exoniam deditas, ausam resistere) obsidere statuit.

Regina jam in Angliam appulerat, Armis secum adductis; quæ in Belgio, oppignoratis illis Regni Cimeliis, magno pretio emerat. Cujus adventus non tam ad bellum quam ad triumphum jam videatur.

Gloceſtriæ non tantum retentus est victoriarum Regiarum cursus; sed mutata paululum Fortuna Partium: fortissime defensa est Vrbs contra validissimum florentissimumque Exercitum: quo facto Masseius Præfectus æternam meruit famam; tamdiu duravit obsidio; dum Imperator Essexius, novo contracto Exercitu ad eam solvendam, illuc à Londino, nempe octoginta millia Passuum, progressus est.

Inclyta vid ebatur, & consensu utriusque

triusque Partis celeberrima illa Essexii expeditio: post enim varias in progressu suo pugnas & velitationes diversis in locis cum Equitibus Regiis, Exercitum salvum Gloceſtriæ usque duxit Essexius; Vrbis Obsidionem solvit; & in regressu, non procul à Naberia, maximum Regis exercitum memorabili Prælio fudit.

Sic revivisceré videbatur Parliamentum; de cujus statu desperasse poterant sapientes; si Rex, omissa Gloceſtria, ad Londinum (nullis tum operibus munitam, & factionibus miſere laborantem) cum victore exercitu progressus esset; vel si Novi Castelli Comes, omissa Hullæ Obsidione (quæ incassum quoque cecidit) in Orientales Angliæ Comitatus, pro Parliamento inter se associatos, ingentes suas copias adduxisset: sed aliter visum est Deo omnipotenti, qui solus exercituum Dominus est, & cujus providentiâ cuncta gubernantur.

Jam videbantur Partes, hac Essexii victoria, & fama, & robore, in æquilibrio positæ; & non solum continuatum, sed latius extensum est Bellum.

Hinc

Hinc Ordinibus Regni Scotos fratres: inde Rege Hybernos suos in auxilium vocantibus. Scoti Fœdere, quod ab utraq; Natione solenniter initum est, pro conservatione Religionis, Legum & Libertatum utriusque Hyberni Armorum Cessatione (promissa insuper Pace) ad partes tracti sunt.

Scoti Ordinibus Regni Angliæ (delegatis quibusdam, qui Edenburgum ad eam rem conficiendam, proficiscentur) fidem dant se in Angliam pro Ordinibus Regni exercitum 21000. peditum, equitumque adducturos; Hi vicissim Scotis centum millia Librarum pro impensis solverent. *Rex* vero non tam aperte cum cruentissimis Hybernis Rebellibus pacisci tur, de auxiliis ad se mittendis; sed prætextu quodam Protestantes Anglos in illo Regno hac Armorum cessatione sublevandi.

Quæ tamen Cessatio in Commodum Hybernorum Rebellium facta est; pro qua Illi vicissim Regi triginta millia Librarum largiebantur.

Hæc est illa Cessatio, quæ bonis utropere displicebat, ea saltem (præ-

ter alias) ratione, quod contra Legem, & fidem Regis antea datam facta est.

Statutum enim fuit Anno 1641 authoritate Parliamenti (consentiente etiam, & signante Rege) *Bellum illud contra immanes Hybernos processurum, donec à Parliamento declaratum foret Hyberniam omnino subactam esse, nullam prorsus vel Pacem, vel Armorum Cessationem cum Rebellibus illis faciendam, sine consensu utriusque Domus Parliamenti.*

Sic auxilia utrinque advenere. Regi (quod maxime in hoc negotio studebat) Exercitus Anglus, qui totum fere annum contra immanes Hybernos fortiter & feliciſſime pugnaſſet, in Angliam, intra quinque Menſes poſt factam prædictam Ceſſationem, contra Parliamentum Angliæ bellaturus, adducitur; ſed mutata cauſa, mutata eſt eorum Militum fortuna, nihil enim proſperè in Anglia egerunt, ſed brevi poſt appulſum tempore, fuſi prope Nantvicum toto illo exercitu, præcipui eorum Duces, cum 1700. militibus à fortiſſimo Fairfaxio capti ſunt.

Sco-

Scotorum exercitus sequente Hyeme, medio videlicet Mensis *Ianuarii*, superato Tueda flumine, in Angliam advenit; Leveniæ Comes Imperator summus, Cui David Lesleius cognatus, Equitum Præfectus fuit; inusitatæ altitudinis Nives tellurem operiebant; & immensum frigus flumina vehementer congelasset.

Rigorem vero Aëris superavit Belandi ardor & Tempestatis Duritiem vicit Patientia militum.

Levenius contra Comitem Novi Castelli, qui potentissimo Exercitu Boreales Angliæ Partes pro Rege tenuit, copias duxit, nec in aliis Regionibus cessatum est; Initio Veris, numerosissimi exercitus utrinque comparati, omnia terrore & sanguine implebant. Tota illa æstate, quæ in annum salutis 1644 incidit, pari ardore animi parique fere Fortuna utrinque pugnatum est; adeoque dubiis successibus, ut æquata cladium vicissitudine miserrima videbatur Anglia.

Fortunam Regis magni Exercitus sustentabant; in Occidente sub Principibus Ruperto & Mauritio; in Wallia

ſub Gerardo, aliiſque; in mediterra-neis Comitatibus ſub Ashleio Duce peritiſſimo; copias alias ducebant Hoptonus, & Goringus: circa Eboracum Comes Novi Caſtelli, qui tunc Scotis reſiſtebat, magnum cogebat Exercitum.

Nec minores Parliamenti copiæ; quorum præcipuum Robur ſub Imperatore Eſſexio militabat; aliud ſub Wallero; Comes Mancheſtriæ cui adjunctus Cromwellus vir impiger, & feliciſſimus Bellator, verſus Boream, non contemnendum duxit exercitum; quibus etiam Regionibus Fairfaxii Pater & filius inſedebant; nec procul ab illis Meldramus cum delectu militum; Comes etiam Denbeius Dux ſtrenuus cum agminibus ſuis circa Straffordiam; & præter hæc omnia validiſſimus Scotorum exercitus.

Sub initio æſtatis Rem magni momenti aggrediuntur Parliamentarii, obſidium videlicet Oxoniæ; vel ſaltem ut Regem in illo Opido includerent; quod duo Exercitus efficere nitebantur; hinc Eſſexius, illinc Wallerus utrinque copias ſuas circa Opidum

dum duxere. Sed utrumque elusit *Rex*; & cum paucis expeditissimis Equitum Turmis ex Opido elapsus, ad majores Exercitus se contulit.

Essexius in Occidentem longius cum Exercitu progressus est: sed infelix omnino, & damnosa ipsi Essexio & Parliamento cessit hæc expeditio. Wallerus Regis cursum insequebatur; sed frustra; *Rex* destinata itinera perfecit; velitationes, & præliola quædam inter Copiarum partes aliquando evenêre; sed nil magni momenti effectum; donec Wallerus exercitum reduxit, aliis in locis cum hostibus congressurus. Varii hac æstate successus in plerisque Regni Partibus; sed in Occidente, Austro, & mediterraneis Comitatibus Regii superiores visi; Parliamentarii non tam felices; de quibus actum fortassis esset, nisi incommoda his locis accepta, aliis successibus, & magna denique Victoria, compensasset Boreas.

Levenius enim cum Scotorum Exercitu, qui præcedente Hyeme in Angliam advenisset, post Opida aliquot, & arces captas, Novi Castri Comitis

Copias fractas non tam pugnando, quam vehementia frigoris, duritie Scotorum melius tolerata) multum imminuisset. Cui etiam Fairfaxii (post Selbeiam mirabiliter à fortissimo Duce Thoma Fairfaxio captam) cum omnibus Copiis sese adjunxere. His Comes quoque Manchestriæ validum Exercitum ducens (post expeditionem suam Lincolnien sem) advenit.

Tres Exercitus Parliamentarii, tres Imperatores Levenius, Manchestrius, & Fairfaxius, concordia singulari, & unanimitate jam coiissent, & junctis Copiis Eboracum, maximam Civitatem (quam Novi Castri Comes tenuit) obsidione cinxerant: ad solvendam Obsidionem hanc, Rupertus ingentem Regiorum exercitum ex Austro advexit. Novicastri Comes, soluta Obsidione, copiis suis ex Eboraco eductis sub imperio Ruperti militavit; qui tribus Imperatoribus Parliamentariis in planitie, Marston-mora nominata, pugnandi copiam fecit.

Maximum hoc totius Belli Civilis Prælium; nusquam tanti exercitus vel numero vel robore militum co-

vis

vissent ; nusquam plus sanguinis una acie effusum. Victoria sub initio penes Regios visa est ; quorum sinistrum Cornu dextrum Parliamentariorum fudit, fugavitque, oppressis iniquitate locorum Fairfaxianis Militibus: damnum vero hoc plus quam compensatum in altero Cornu, ubi impiger Cromvvellus sub Mancheſtrio pugnavit : qui tanto impetu in dextrum Regiorum Cornu invectus est, ut validissimæ Ruperti legiones vim tantam non diu sustinentes, omnes in fugam actæ ; quas insequutus Cromvvellus (una cum Davide Lesleio) demum flexis in gyrum Equitibus, auxilium laborantibus amicis in altero cornu commode tulit, nec antea destitit, quam integra parta est Victoria ; Omnesque Ruperti sarcinæ, & tormenta bellica in potestatem Parliamentariorum venerunt.

Post hanc victoriam, Rupertus cum reliquiis copiarum fugiens, in Austrum regressus est, frustra insequentibus quibusdam victoris Exercitus Equitibus.

Novi Castri Comes cum delectis a-

liquot amicis, Eboraco relicto (in cujus loco Thomas Glenhamus miles Præfecturam Urbis illius cepit) ad Scarborougham profectus est, unde brevi postea in Germaniam navigavit.

Tres Imperatores, Levenius, Manchestrius, & Fairfaxius, post fugatos Regios, ad Obsidionem Eboraci revertuntur; quibus Vrbs illa non multo post certis conditionibus dedita est.

Partitis Copiis, Levenius cum Exercitu Scotorum in Boream reversus circa finem illius æstatis, opulentissimum Opidum Novum Castellum cepit; quo tempore Essexius Imperator infeliciter in Occidente rem gessit; & amissis Tormentis Bellicis, Londinum rediit.

Hæc æstate Regina in Galliam navigavit, ubi maxima cura cum Catholicis egit, ut auxilia illinc viro suo mitterentur, sed incassum cecidere conatus ejus: bellum tamen sine Externorum mixtione, atrociter satis, & cruente procedebat.

Inter tot belli calamitates spes aliqua Pacis visa est tandem affulsisse (quamvis cito evanuit); & de conditioni-

tionibus tam Rex, quam Ordines Regni agitabant, de quibus apud Uxbridgam sequente Februario; ut postea dicetur, inter utrosque tractatum est.

Finem hujus anni, & novi initium funestabant extrema clarorum virorum supplicia. Hothami Pater & Filius Perduellionis damnati, ob violatam Parliamento Fidem, & inita cum Hostibus consilia de prodenda Hulla, cum aliis criminibus, postquam ultra annum incarcerati fuissent Turri Londinensi, hoc Decembri, securi percussi sunt; nec non Alexander Careyus Miles, non multos ante dies, ejusdem criminis reus, eodem supplicio affectus est. inter cæteros vero eminuit Mors Gulielmi Laudi Cantuariensis Archiepiscopi; crimina ejus tam multa, & varii generis, nimis longum esset hic enarrare: quadriennium fere jam totum in custodia vitam traxisset miserrimus Senex, vix quiete aliqua vel in Carcere data: Sæpius enim (octoginta circiter dies) è Turri Londinensi ad Westmonasterium ductus, in domo Procerum causam dixisset, sic visum est Fatis in tam tristi compensatione,

Vt Rebuilatis par sit mensura malorum.

Hoc *Ianuario* secuti percussus est; vita ad hoc usque tempus protracta, ut videret (sicut nonnulli observabant) paucis ante obitum suum diebus, Leiturgiam abolitam; & Directorium à Synodo Westmonasterien. institutum.

Agitantibus de pace Parliamento & Rege, non tamen Armorum aut militiæ cura intermissa est; Rege de externis auxiliis cogitante; Parliamento autem de copiis suis in aliam formã redigendis, & novo exercitu conscribendo. De hac tamen maximo (ut videbatur) negotio controversum aliquandiu est inter Proceres & Communes. Proceres nihil mutandum in Regimine exercituum existimabant; nec novos Duces desiderari, cum nullius criminis accusati essent Veteres; Nobilissimos viros ducendis exercitibus maxime idoneos, & si aliter fieret, metuendam esse confusionem: Contra arguebatur à Communibus, qui, quamvis honorifice de Essexio, aliisque Nobilibus loquuti, querebantur tamen copias

Parlia-

Parliamenti ambitu Ducum distrahi, ob eamque causam quædam non imprudenter designata, infeliciter cecidisse; lãgueſcere sub multis Imperium, quod unius virtute possit excitari; & intentior fieri disciplina Militum. Imperator tandem novi Exercitus electus est (absens tunc, & in Borealibus Regni Partibus Bellator) Thomas Fairfaxius, Fairfaxii Baronis filius, eximiæ fortitudinis, nec minoris modestiæ vir; sed tanti momenti res non subit oprocedere potuit; & jam appropinquabat dies pro conventu Vxbridgẽsi in quo tria capita, nempe 1. de Religione cum Regimine Ecclesiastico.

2. De Militia Angliæ.

3. De Bello Hybernico, disceptanda erant.

Rex, antequam tractatum est de pace, solli citus admodum de Bellicis auxiliis fuit, & nullum non lapidem movit. Litteris ad Reginam in Galliam missis Copias à Catholicis & illo Rege petiit, nec non ut Regina Regens naves Parliamenti per Galliam detineret. Imploravit etiam Lotharingi Ducis auxilium, Vt sceleratum illum

exercitum, probris omnibus infamem, quem Germaniæ, Flandriæque regiones execrantur, in Angliam transportaret; de quo exercitu, ut de illo Marii Romam petentis, dici potest,

— nulli gestanda dabantur
Signa ducu, nisi scelerum jam fecerat usum,
Attuleratque in Castra nefas.

Et facta est spes à Lotharingo decem millium: ad hos milites in Angliam transvehendos missus est in Hollandiam Goffius, ut naves aliaque necessaria ab Ordinibus impetraret.

Opem quoque à nefariis Hyberniæ sicariis eo tempore implorabat Rex, & jussus est per litteras Ormondius pacem cum Rebellibus illis facere, libera sacrorum exercitia Papistis Hybernis stipulari, & concedere, si eorum auxiliis bellum Anglicanum finire posset, & leges omnes de inhibendis eorum sacris, ante hac latis, se rescissurum promittit Rex. Gratias quoque Muskerio, Plunketto, aliisque rebellibus egit, veniamque omnium delictorum concessit. Illi vero de tractatu pacis cum Parliamento admodum

dum anxii erant, non ignorantes Pacem ejusmodi non posse fieri, nisi ea conditione, ut Bellum Hybernicum continuaretur, ad removendum hunc eorum metum sic Ormondio scripsit Rex; *Se, Hybernorum gratia pacem cum Parliamento non posse negligere, ex illa tamen re (si perite ab eo transigatur) aliquid commodi eventurum, Primo ad maturandam cum Hybernis pacem; deinde ut pericula sua sentiant, se ab omni venia excluſos; nam si de caeteris conditionibus conveniat, de illis solis dissentire non erit Regi commodum, Proinde maturent pacem, & quæ illis oblata sunt, dum tempus est, amplectantur, & Fidem semel datam nulla humana vis rumpet.*

Regina quoque (quæ in Gallia manebat) ad virum scribens, multum dolere visa, quod Uxbridgæ primo loco de Religione agendum esset, *Nam si contra Catholicos durius aliquid statuatur, nec tamen Pax fiat, non posse Regem auxilii aliquid posthac sperare vel à Catholicis Principibus vel Hybernis, qui se, post navatam operam, derelictos fore sentient.* frequenter quoque orat Regem ne Episcopos, Catholicos, reliquos-

liquosque amicos ejus, qui fidelem in bello navassent operam, unquam deseteret. Promittit Rex se nunquam pro pace amicos deserturum; suadet Reginæ ut auxilia Gallica festinet, *dum distracta est Urbs Londinensis inter Presbyteriales & Independentes, utrosque posse opprimi.*

Mense *Februario* ad Uxbridgam venere de pace agitaturi utrimque Delegati tam à Rege quam Parliamento; pro Rege Richmondius Dux, Matchio Hartfordius, Southamptonius, Dorsetius, Cicestrius Comites; Barones Dunsmorus, Capellus, Seymorus, cum Culpepero, Gardinero, Hyde, Lano, Bridgemano, Palmero, aliisque: pro Parliamento Northumbrius, Pembrochius, Sarisburiensis, & Denbighensis Comites; & è Communium domo Wainmannus, Vanus, Peitpointus, Holleis, Prideaux, St. John, Whitlockus, Crevv, & præter eos, Sex nobiles, Generosique à Scotia Delegati. Sed nihil omnino effectum est de pace; Rex, ut Reginæ antea promiserat, Regimen Ecclesiæ per Episcopos abrogari non voluit: Militiam quo-

que

que, ut præcipuum Coronæ suæ florem, noluit sibi adimi: quam tamen ad Triennium per viginti æqualiter ab utraque parte lectos constitui consensus est. Bellum denique contra Hybernos ut fieret, nullo modo consentire voluit, quod Inducias cum illis fecisset, quas salvo honore rumpere non posset.

Sic nihil de Pace confectum; sed ad arma utrinque concursum est.

Jamque Ordines Parliamenti novum Exercitum maturabant. Essexius, Yarvicensis, Mancestrius, & Denbighensis libenter se Imperio in Militia abdicant.

Vniverso igitur Exercitui Parliamentario (qui ex 21000. constabat, quatuordecim nempe millibus Peditum, & sex millibus Equitum; mille quoque ex iis, quos Dragoneiros vocant) præfectus est, ut summus Imperator, Thomas Fairfaxius, Philippus Skipponus strenuus Bellator suprema peditum præfecturam sub Imperatore adeptus est. Tribuni legionum pedestrium facti sunt Holbornius, Fortescue, Barclay, Craford, Inglesby,

by, Montacue, Pickering, Rainsborough, Welden, Aldrige. Equestrium Legionum Michael Levisay miles, Scheffeildus, Middletonus, Sidneius, Graves, Vermuden, Whaleyus, Fleetwoodus, Rossiterus, Pyeus.

Rex è contra magnas copias sub variis Ducibus paratas habuit, quibus etiam provincias suas distribuit, Principes Rupertus & Mauritius numeroso Milite Septentrionales Regni partes aliquas obtinuere; alias Comes Derbiscencis, & Langdalus; Cambriam, & Comitatus aliquot adjacentes Byronus & Gerardus; Occidentem Hoptonus, Grenvilius & Goringus divisis Exercitibus possidebant.

Hi tres, quamvis magnarum copiarum Ductores, sub auspiciis tamen & nomine Caroli Principis Walliæ, ut supremi Imperatoris, militabant.

Non contentus vero tanto Anglorum militum robore, Hybernos Papistas multo vehementius quam antea sollicitabat Rex, cum quibus pacem conficiendæ negotium Proregi Ormondio antea commiserat. Cum vero

to animadverteret Rex Hybernos illos alta admodum postulare, nec quicquam omnino tot colloquiis, & tanto tempore de pace ab Ormondio effectum, aliam excogitavit viam; Baroni Raglandiæ, Comitis Vigorniæ filio (quem idcirco Comitem Glamorgiæ creasset) acri Papistæ, & Rebellibus Hybernis eo nomine charissimo, plenam dedit potestatem, per litteras suas, pacem transigendi, & omnia Hybernis indulgendi, quæ necessitas suadere videbatur.

Mirum cunctis visum est (cum patefacta sunt hæc, quod ante exitum hujus anni fuit) Rem tantam clam Digbeio (Secretario Regis pro Hybernia) & Ormondio Prorege (cui commissum fuisset hoc pacis negotium) actam fuisse.

Rex vero cum difficile nimis cerneret pacem aliter cum Hybernis subcerta auxiliorum spe, fieri; ut magnam illam invidiam in solum Glamorganum conjiceret, eum, clam cæteris, tanta potestate instruxit. Ita enim Rebelles largissimis promissionibus deliniti, inscio Ormondio, conditiones

in

in ſpeciem equas, & excuſabiles pal
admitterent; & Rex ex Hybernia mil
tes ſuæ parti addictiſſimos (quibu
ipſe confidere poſſet; utpote maxim
Anglorum Proteſtantium Oſo-
ribus, & de venia deſperan-
tibus) in Angliam con-
tra Parliamentum
tranſportaret.

LITE

LITERAS ET AVTHORITATEM GLAMORGANO DEDIT REX,

In hæc Verba.

CAROLVS D. G. Rex Anglia, Scotia, Francia, & Hybernia, Fidei Defensor, fideli, & dilecto Cognato Edvvardo Comiti Glamorgan, S. confisi sapientia, & fidei tuæ, his litteris, velut sub magno Sigillo nostro, authoritatem, & potestatem tibi damus tractandi & concludendi cum Confœderatu Romano Catholicu Hybernia, omnique illa indulgendi, qua necessitas suadet, & tam commode per Legatum nostrum expediri nequeunt, nec à nobis impræsentiarum publice admitti. Igitur mandamus ut hæc, quantum fieri potest, quam secretissime expedias. Quodcunque meo nomine promittendum existimaris, id verbo Regis & Christiani testor, me Confœderatis Catholicis concessurum,

suorum, qui supplementis suis Zelum suum erga me, & causam meam abunde ostenderunt. Oxonii sub Regio sigillo, duodecimo die *Martii*, Anno Regni nostri vicesimo.

Nec in Angliam tantum sceleratos illos Hybernos effundere conatus est Rex, sed in Scotiam (quod etiam effecit, magno miserrimi illius Regni detrimento) per Montrosium; circa initium enim anni 1644, quo tempore Fœderati Scoti in Angliam, Parlamento auxiliaturi, advenere, Montrosius ad Regem tunc Oxonii degentem operam suam contra Fœderatos in Scotia navaturus, accedit. Hunc Rex, ad id munus obeundum, titulo Marchionis ornavit; Diplomate etiam Regio, quo Regni Scotiæ Vicarius Gubernator, & copiarum Dux renuntiatus erat. Comitem quoque Antrom accersit Rex, & consilii Montrosiani participem fecit; qui fœdus cum Montrosio iniens, illi, coram Rege, se obstrinxit, sequente Aprili in Argathelian (qua parte Scotia Hyberniæ objacet) cum decem Hybernorum millibus descensurum.

Pro-

Promissum hoc, prædicto tempore in parte præstitit Antromius; numero vero militum valde deficiebat, nam pro decem millibus, vix mille ducentos Hybernos sub Macdonaldo misit in Scotiam, ex quibus tamen Montrosius, adjunctis aliquot Atholiorum copiis, prædabundum exercitum effecit, & vicinas excurrens Regiones, agros populari, ædes, frugesque collectas immissis facibus incendere cœpit; nec omnino magnis exercitibus cohiberi potuit, dum asperi Atholiæ montes, & loca saltuosa receptum Hybernis suis & Hyghlandis præbuere.

Ad hunc igitur modum Montrosius per duos fere annos intra patriæ suæ viscera tanquam dira lues hærebat; dum intra montes suos, & transitus impenetrabiles, decursu in planities facto, vim incolis tam audacter sæpenumero fecit, ut non minore interdum exercitu quam duodecim millium ad defendendas Provincias contra Montrosium opus esset.

Variis Fortunæ casibus jactatus est Montrosius; prima enim post adventum ejus in Scotiam æstate Comitem Ar-

Argatheliæ, per suorum negligent
gravi damno affecit, cæsis fere cap
que mille quingentis. Adeo ut c
tra illum Parliamentum Scotiæ ex
citum decem millium comparare
actum, sit à quo Parliamento dam
tus ipse, cum aliis Regulis, tanqu
Patriæ proditor, & perduellis est: p
ea vero ab Hurreio graviter cæsus
Montrosius, & in saltuosos recep
fugere coactus: nec non aliam pr
Dundæam opidum, ab eodem H
reio cladem accepit; sed in tut
suosque recepit; unde subito (ut p
ea dicetur) emersit; & ex contem
metuendus effectus, horrenda cl
miserrimam afflixit Scotiam.

Dum in his obstirmato animo p
sistit Rex, Ecclesia Scotica, ex Syn
Edinburgensi Litteras, Admonition
seriam continentes, illi miseru
quam (quia Res momenti alicujus
deturNationalis Ecclesiæ admoni
verbatim (omissa tantum præfatio
ut oblonga, quamvis humillissim
capiat lector.

*Amplificati sunt dolores Cordi
nostrorum & timores aucti pro sa*

Mi-

Majestatis tuæ, cum reputamus Patientiam Populi tui ultra modum læsam esse & sicut Plaustrum fasciculis depressum & jam jam fracturum; & cum mœste reputamus, præter priores impios conatus ad ruinam Populi, & Regnorum devastationem (qui tamen omnes, uti speramus ejusmodi semper fore, singulari Dei providentia & misericordia detecti, & frustrati fuere) Patriam nostram nunc infestatam esse, sanguinem fratrum nostrorum fusum, & alia multa infandæ crudelitatis facinora contra nos ab execrandis Hyberniæ Rebellibus & eorum sociis in hoc Regno quotidie patrata; quæ omnia authoritate tua & sub eorum ductu, qui Diplomata à te ob eum finem acceperunt, acta sunt.

Idcirco fidem Deo & Majestati tuæ pessime violaremus, si aliud periculum tibi imminens, ira Populorum infinite gravius, nunc celaremus. Nos ergo Servi Omnipotentis Dei & Majestatis tuæ subditi, humilitate & dolore cordium nostrorum, coram solio tuo procidenes in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui totum Mundum, magnos simul & tenues in Iustitia judicabit; & in nomine

totius

totius hujus Nationalis Ecclesiæ à te repræsentata Majestatem tuam admonemus, Reatum qui tibi, Soli tuo tenaciter adhæresci, tantum est (quodcunque Adulantes Clerici, vel fidi Consiliarii in contrarium pronunciant) non possit sine tempestiva pœnitentia, sub ira Viventis Dei, te, posteritatemque tuam non involvere; quod tu sanguinis effusi reus es, nempe multorum millium subditorum tuorum optimum; quod Missam, aliasque Idololatrias in Regno, & in propria familia permisisti; quod prophanationis diei Dominicæ Author fuisti, in libello isto de Ludis à te edito; quod Scandala publica, & multas impietates in Aula tua, & extra illam impune permisisti; quod humillimis & justissimis fidelium subditorum Petitionibus aures occlusisti; quod Papistica factioni nimium, & multis modis indulsisti: præsertim vero Cessatione Armorum nuper cum Hybernis facta; quod consiliis eorum præcipue adquiescas, qui neque timorem Dei, neque Bonum tuum ante oculos suos posuerunt; quod Causa hujus, quæ ad Gloriam Dei, felicitatem tuam, & pacem sal-

tem

que Regnorum tuorum spectat, tan-
te adversatus es: propter hæc, &
, quorum tibi ipse conscius es, & qua
conscientiâ tua optime novit servatari,
judicare (neque enim hæc crimina si-
gillatim commemorâssemus, nisi publica
notissima fuissent) tempus est ut Ma-
tas tua coram Scabello Regis Gloriæ
humillime procidat, peccata tua illic a-
gnoscas, ut tempestive resipiscas, ut pacem
cum Deo per Iesum Christum (cujus san-
guine ingentia peccata tua potis est ablue-
re) impetrare possis; & tandem non in-
dignaberis Filium Dei super te & Re-
gnum tua, puro cultu, & sincera guberna-
tione Ecclesiarum, dominari.

Conclusionem subtexunt, in qua constantiam suam adversus omnes quascunque oppositiones, in tam justa causa, profitentur.

Missa est hæc admonitio ad Regem Concilio generali Ecclesiastico in Scotia; primo ad Delegatos suos Londini agentes; & ab illis tradita Principali Regis Secretario. Sed Monita Ecclesiastica inter Armorum strepitus parum valuere.

Jam Vere ineunte, magno utrin-

que ardore, & ingentibus animis renovatum est Bellum. Finito Essexii Imperio, Fairfaxius, mense Aprili Vindesoram ad exercitum contendit novum Exercitum, ex residuis Parliamentariorum copiis, & collectis Provinciarum Robore conflatum, non titulis Ducum, non vetustate Militum spectabilem; vix ullus unquam Exercitus vel minore suorum fiducia, vel majore hostium contemptu bella auspicatus, tantum utrosque fefellit, ostenditque in quantum decipi possent humanæ conjecturæ. Sequentibus enim & actionibus & successu talis evasit ut Parem huic invenire inter Veterum Heroum Exercitus primium laborabit Antiquitas.

Quæ in sequente anno contra validissimos Hostes gesserit hic Exercitus, si magnitudinem Rerum, si Victoriarum numerum, quot exantlati labores, quot confecta prælia, quot expugnatæ Vrbes, & Præsidia capta serio perpendas; non unius anni opus censeri, nec unum Bellum vocari posse existimabis.

Sed hæc reputanti cavendum ne

est, ne nimium illis attribuat sed, Deo solum, cujus super eos Providentia, ut postea mirabiliter apparuit, ita ab initio sperari potuit, consideratis horum Militum & moribus & disciplina: excusa enim sunt usitata Castrorum vitia, adductior militiæ ordo; non furta, non lascivia, non impia ex ore verba, sine castigatione severissima, accidere potuerunt; ita effectum est, ut in Castris illis, ut in bene composita Civitate, securus transitus & libera Provincialium commercia essent.

Imperatoris Fairfaxii prima Expeditio à Delegatis utriusque Regni jussa in Occidentē, ad solvendam Tauntonæ obsidionem, fuit; Opidum, quod fortissime diu sub Præfecto Blaco, Grenvilii vim sustinuisset, & Saguntinæ fidelitatis exemplum (sed felicius) exstitit. Hoc vero Opus per legatum suum Weldenum Tribunum, cum septem millibus novi excercitus confecit. Ipse Fairfaxius ab iisdem Delegatis ad alia revocatus est.

Priusquam vero à Vindesora profectus est, quoniam Rex Rupertum Principem ex Wallia Oxoniam accersivis-

set, ut junctis Viribus, Castrensem apparatum inde produceret; Fairfaxius ad consilia Regis impediendæ, Cromvvellum cum firma Equitum manu misit, qui celeriter à Vindesora profectus, felicissime copias aliquas Regias apud Islipam fudit (captis aliquot Ordinum Ducibus) & eorum reliquias in Blechingtoniam fugientes, ad deditionem compulit; eademque felicitate Vaughanum, Littletonumque Duces, in saltu Bramptonensi, fusis eorum copiis, cepit.

Rex vero Ruperti & Mauritii copias ad se receptis, in Orientem iter intendebat, ut Eliam Insulam, sibi in minus à quibusdam suæ partis proditam, occuparet. Illum sequi jussi sunt Cromvvellus, & Brovvnius Abingtonii præfectus, sed paulo post revocati, ut Regi viribus impares, & auxilium Imperatori Fairfaxio, in obsidendo Oxonia allaturi. Jam enim Oxoniam obsidere jussus est Fairfaxius, male sane consilio; cujus sero, Delegatus utriusque Regni pœnituit. Interea enim Rex secure Boream versus cum Exercitu progressus Leicestriam mi-

gi

ni momenti Opidum cepisset. Fairfaxius tunc ab Oxoniæ obsidione revocatus (Cromwello ad Orientales Comitatus confirmandos misso) Regem totis Viribus insequebatur: nec din dilatum (debitum par flagitante fortuna) est certamen nobile; in quo quid Anglia esset, quid libertas, legesve, aut potestas Regia, in discrimen venturum omnes judicabant.

Sedes tanti Belli prope Northamptoniam delecta est; & Nazebiensi campo commissa Gentis Angliacæ fata.

Quartum decimum *Iunii*, quo decertatum est, diem memorabilem, & magnæ apud posteros famæ, fatali quodam augurio, vaticinabantur omnes. Vtriusque Exercitus non multum dispar militum numerus. Regii tamen potentiores Equitatu visi, nec dissimili modo acies ordinatæ. Regis frontem decorabant Equitum Alæ, pedites in secunda acie stabant; dextrum cornu Principes Rupertus & Mauritius curabant; sinistrum Ashleius; aliis Ducibus non mediocri nobilitate insignibus, partes suas sustinentibus.

Fairfaxiani Pedites mediam aciem firmabant; Equites cornibus affundebantur, quorum dextram alam Cromvvellus (qui ab Oriente accersitus, nocte illa, quæ pugnam præcedebat, magno totius Exercitus gaudio, veniſſet) rexit, ſiniſtram Iretonus curabat.

Roſſiterus inclitus Dux, & multum deſideratus, ſub initium prælii cum Equitibus ſuis advenit, & apud Cromvvellum locum cepit. Skippono magnanimo commiſſa eſt cura Peditatus, qui in duas quoque partes diſtributus eſt. Teſſera militaris Parliamentariis: *Deus nobiſcum*: Regiis *Deus, & Regina Maria*.

Regiis primo Fortuna (ut in aliis quibuſdam Præliis) blandiri viſa, ſcilicet ut futuris deciperet malis; Siniſtra Parliamentorum ala pulſa eſt, & Iretonus Ductor duobus exceptis vulneribus captus, in poteſtate hoſtium, dum duravit Prælium, fuit; hanc diſjectam alam acriter nimium inſecutus eſt Rupertus Princeps, & actum eſſet de Parte; ni Cromvvellus, torrentis inſtar actus, ſiniſtram Regis alam mi-

mili modo disjeciſſet, & jam in æquilibrio poſita videbatur res, fuſis utrinque Cornibus, ſed acerrime diu, & ambiguo eventu pugnatum fuit. Skipponus graviter vulneratus, non tamen è Prælio excedere voluit; ſed omni conatu, dum parta eſt victoria, aciem ſuſtentavit; tanto tandem impetu in Regios Fairfaxiani ſe intulerunt, ut ultra ſuſtineri non poſſent; & Equitatus omnis effuſiſſima fuga Leiceſtriam verſus contendens, Peditatum totum cum Tormentis & impedimentis deſeruit, qui undique à Fairfaxianis circumfuſi, abjectis armis, vitam petierunt; in neminem ultra aciem ſævitum eſt.

Prælium hoc Parliamentariis feliciſſimum fuit, & victoria indubitata, quinque fere millia captivorum Londinum tracta ſunt, Labarum Regis & ſigna militaria centum, tormenta omnia, ditiſſima præda cum magno auri argentique pondere, ſecretiores etiam Regis Epiſtolæ in poteſtatem victoris exercitus conceſſere: tam parvus autem numerus cæſorum fuit, ut mirari poſſit lector, tam exiguo ſanguine

tantum Captivorum gregem, tantumque divitiarum acervum partum fuisse: ex Regiis enim non amplius 400; ex Fairfaxianis vix centum desiderati.

Victos Regios, & ad diversa suorum Præsidia fugientes, Cromwellus cum Equitatu insequutus, & magnam captivorum multitudinem retrahens, ad Imperatorem reversus est, qui cum Victore Exercitu ad Leicestriam progressus, Opidum illud deditione recepit; relictoque illic Præsidio, ut victoria Reipublicæ bono uteretur, ne exitiosum hoc bellum diutius traheretur, & Rex fractas vires novis delectibus repararet, statuit victo jam, & trepidanti, usque ad exitium insistere; exercitum igitur ad Occidentem duxit, simul ut Regem persequeretur, & Tauntonam obsidione liberaret.

Secretiores Regis Litteræ Nazebiensi prælio captæ, in frequentissima civium Londinensium concione perlectæ sunt, præsentibus illic Proceribus aliquot & Communibus Parliamenti; permissum quoque postea est omnibus qui vellent, & qui Regis manum noscerent (ad refutandam eorum calum-

lumniam, qui ſuppoſititias illas clamabant) ipſarum litterarum inſpectio. Selectiorum aliquot faſciculus Parliamenti juſſu typis evulgatus eſt.

Hinc proRei conditione varii apud Vulgum ſermones, ex illis enim litteris palam factum eſt quæ cum Rebellibus Hybernis transegiſſet, quæ cum Regina de Lotharingi, Gallorum, vel Danorum auxiliis comparandis, de quibus antea mentionem fecimus. Indignabantur boni omnes fluxam adeo Regis fidem eſſe, cui aliud in Ore, aliud in Corde: qui palam horrendis execrationibus coram Deo proteſtatus eſſet ſe nihil tantopere ſpectaſſe quam Religionis Proteſtantis conſervationem, & Papiſmi extirpationem, clam interim in Rebellium Hybernorum gratiam ſe omnes ejuſmodi leges refixurum pollicetur; contra ipſius supera promiſſa in his ipſis verbis; *Nunquam leges contra Papiſtas refigam: vel meminiſſe externi militis, horreo;* & tamen Lotharingum, Gallos, Danos; ipſos Hybernos ſollicitabat.

Indignabantur etiam Regem, ut Uxoris imperio obnoxium, omnia ex

præscriptis ejus transmarinis agere; eam Belli, Pacis, Religionis, Parliamenti Arbitram esse.

Innotuit etiam ex illis litteris quo animo Rex, in Vxbridgensi Tractatu, erga Parliamentum esset; quidve ex eo tractatu sperare potuit; cum ad Reginam scribens, affirmat, si duo præterea sibi consensissent, se nomen Parliamenti Westmonasterienſibus nō attribuere voluisse. Tandem vero se eo argumento consensisse, *quod non perinde sit vocare, atque agnoscere Parliamentum*; ob id quoque (quod partibus etiam suis displicere potuit) contemptim scribens, conventum ipsius Oxonienſem Spurium (Anglice Mungrell) Parliamentum vocat.

Rex, post perditas Nazebiensi Prælio Res, Leichfeildam, inde Herefordiam continuata fuga pervenit, delectum militum, peditum præsertim, (Equitatus enim magnam vim post fugam collectam apud se habuit) in Cambria; & Cornubia, aliisque locis habiturus.

Sed nihil omnino Regi insequen-

tis

te anno, prospere cessit; fato jam omnia ad Parliamenti Partes trahente; cujus causam à Numine probatam multæ per totam Angliam, magnæque victoriæ testari videbantur. Periit Regiorum fortitudo & incassum conatus eorum omnes ceciderere.

Imperator Fairfaxius, post Nazebiense Prælium, cum victore exercitu magnis itineribus in Occidentem contendens; Tauntonam Opidum primo (fama adventus ejus profligatis Goringi copiis) obsidione liberavit.

In extremas angustias redactum erat constans & fidele Opidum; multa tulerat, feceratque contra validissimos hostes; nec diutius sine suppetiis teneri potuisset; unde magnum Parliamenti gaudium. Tria sub idem tempus, & præcedente anno, Parliamentaria Præsidia prolixioribus celebrari historiis ob virtutem meruere, Lima, Plinmuthum, & Tauntona, quæ toties obsessa, maximos exercitus sub Mauritio Principe, Grenvilio, Goringo, aliisque Ducibus

non tantum sustinuere, sed denuo fregere.

Quæ sequente anno (non intermissis acerrima Hyeme militum laboribus) Fairfaxii ductu gesserit novus ille exercitus, mirandaprorsus sunt: quot expugnata munitissima opida, quot captæ arces, quot Campestres Victoriæ partæ; singulorum Mensium historiæ enarrabunt, quorum omnium, quoniam ab aliis accurate perscribuntur, mentionem tantum hic faciemus, nam intra spatium unius Anni, Occidentales omnes Angliæ Comitatus, fusis, deletisque maximis exercitibus sub Ruperto, Grenvilio, Hoptono, Goringo, in Parliamenti potestatem redacti sunt.

Mensibus *Augusto* & *Septembri*, capta opida Bathoniæ, & Sherburnæ; ipsaque Bristollia, maxima, opulentissimaque totius Occidentis Vrbs, in Fairfaxii manus à Ruperto Principe dedita est.

Partitus quoque exercitus, ob operum varietatem, non infelicior in Partibus suis; Wintonia, Basinghaque à Crum-

Cromwello captis, Opido Deviſez, Barclaioque ab aliis Ducibus. Progreſſus quoque Fairfaxius (frigidiſſimo *Decembri*) in Devoniam, Tivertonam capit, Darmutham magna felicitate expugnat; & Regios exercitus in Cornubiam pellit. Quos inſequutus Fairfaxius, Torringtonæ Hoptonium graviter cædit, & menſe *Februario* in Cornubiam cum victore exercitu penetrat; cujus metu *CAROLVS* Princeps in Syllinas inſulas fugit, & ſequente Martio omnes Hoptoni copiæ, victoris Fairfaxii juſſu, diſplicatæ & ſolutæ ſunt; totaque Cornubia in poteſtatem Parliamenti venit.

Sequente *Aprili* Exonium Urbs maxima (cui Barclaius præfuit) & Barnſtablia Fairfaxio dedita ſunt. Bridgewatera quoque fortiſſime expugnata eſt.

Mons etiam Michaelis, ultimus Cornubiæ angulus, Hamondo Tribuno à Fairfaxio miſſo tradita; ità Fairfaxius Occidentis illuſtriſſimus Victor, cunctis ad profectionem comparatis, ut finem bello imponeret, ad ob-

obsidendam Oxoniam contendit. Woodstoka enim à legato ejus Rainborroughio capta esset.

Per tot Menses, quibus Imperator res tantas in Occidente gessisset; feliciter quoque à reliquis Parliamenti Ducibus in Septentrione & in mediterraneis Angliæ Regionibus, communi quodam Fato, pugnatum est; media æstate Urbs Carleola Scotorum exercitui à Glenhamo Præfecto dedita est. Præsidium Scotorum, Urbi impositum, de quo querebantur Angli, ut fœderi contrarium: & Parliamentum Levenio scripsit, ut Carleolam Anglis redderet; non quod aliquid mali de fratribus suis suspicarentur: sed quia observandæ erant conditiones fœderis, & rumoribus occurrendum, quibus maligni passim jactitabant, *Scotos non tam amicos quam prædabundos in Angliam venisse.* ab eo tempore placuit Parliamento Angliæ Delegatos suos Edinburgi (ut Scoti suos Londini) habere, qui Parliamento Scotiæ adessent; eoque nomine Comes Rutlandiæ, Baro Whartonus & è Communium Domo, Henricus Vane

Vane Senior, Arminus Hatcherus, & Goodvvinnus delecti sunt. Glenhamus cum Præsidiariis suis militibus è Carleola dimissus, Nevvarkam proficiscitur.

Ad Nevvarkam quoque obsidendam Scotorum Exercitus sub Levenio progressus est, sed non diu illic moratus Equites Scoti, in Septentrionem reversi, auxilium miserrimæ Patriæ laturi. Res enim Parliamenti lætas eo tempore Funesta Scotiæ clades contristabat; immanis illa quidem, inopinata, & mirabilis: in qua rerum humanarum fragilitas,, & Regnorum mutabilis conditio memorabili exemplo apparuit; tota Scotia unius Mensis spatio amissa, & recepta; omnino debellata, & rursus victricibus armis rediviva fuit.

Hac cladé Scotiam afflixit Montrosius, in quo Regis spes adeo sita erat, ut enixe jam cupiens vires suas cum Montrosio jungere, Septentrionem versus cum Expeditis equitibus progressus esset; sed Poinzii, Gellii, Rossiteri, & Provincialium copiæ, iter Regis, quo minus ad Montrosium, per-

perrumpere posset, impediebant. Convenerat inter Regem & Montrosium, ut eodem tempore, hic ex Austro in Septentrionem, ille, in occursum ejus ex Septentrione in Austrum moveret, ut Regii Equites Peditatui ejus juncti validum in illis Partibus exercitum facerent. Sed Regis (omnes in Scotiam aditus frustra rimati) præpeditus (ut ante dictum) progressus fuit. Montrosius vero promissi memor, in Australem Scotiam erupit, majore successu quam sperare potuit, vix quatuor millibus Highlandorum, Hybernorumque stipatus.

Locum Kilsitham prope, quem arctæ fauces & prærupta rupium insidiis aptum faciebant, insedit Montrosius. Hic Fœderatorum Scotorum Exercitus, suorum numero confisus, dum avidius quam consultius, immanes Highlandos persequitur, in insidias pertissime dispositas lapsus est; & interneccione mirabili cæsus; supra quinque millia trucidata; nec superfuerunt, nisi in quibus trucidandis & ferrum & vires hostem defecerunt, nam nullius vitæ parcit crudelis Montrosius,

sus, nihil opus esse captivis ferociter clamans.

Kilsithana hæc clades Scotiam uno prælio vicit; & omnino pessundedisset; nisi Lesleius sequenti mense (debellato penitus Montrosio) rem restituisset; nam post hoc tam inopinatum damnum nullæ Fœderatis, ad inhibendum hostem, erant in promptu copiæ. Opida fere omma victori dedita; Papistæ malefici, & quicunque antea affectus suos dissimulassent, illi se adjunxunt, in alios ferro sævitum est. Proceres multi ad Bervicum se conferunt.

Pro Scotorum fratrum calamitate indicta supplicatio cum jejuniis in Anglia fuit. Fairfaxius cæterique Duces (dolorem suum testati) ad Leveium scribunt; *Se Scotiæ calamitatem, quam ducere; & si res domi permittant, orbeatque Parliamentum, se bellum id suscepturos, & non parcius sanguinem pro Scotis, quam pro Anglis fusuros, donec omnes trium Regnorum hostes deleantur.* Sed non diu duravit Montrosii crudele regnum, vix mensis unius spatio. Ad vindicandam patriam sufficit David Lesleius, qui Montrosium

apud

apud Selkirkam adeo vicit, ut magnitudine stragis Kilsithanam cladem penitus compensavit. Victoria hæc unius horæ spatio parta; & observatum à Germano nobili fuit, ea ipsa die, qua Regina Parisiis, *te Deum Laudamus*, ob Scotiam à Montrosio debellatam, cantabat.

Sic recuperata fuit Scotia, priusquam Rex ad Montrosium accedere posset; quod tamen paulo post tentavit, & versus Septentrionem progressus, non contemnendis copiis, adjunctis sibi Gerardo & Langdalo, ad Routenheatham pervenerat Rex. Consilium erat fuit, si non Montrosio adjungi, saltem ut Cestriæ obsidionem solveret; illam enim Urbem impense curabat Rex quia Portus illic omnium commodissimus ad Hybernos (quos incassum tam diu speraverat) in Angliam trajectos recipiendum.

Sed infeliciissima evenit Regi hæc expeditio; prælio enim apud Routenheatham commisso, ubi Poinzius Parliamentarium Exercitum duxit, victus est Exercitus Regius, octingentis cæsis.

Ne-

Nec felicior evenit Digbei ad Monroſium expeditio, qui menſe inſequente, una cum Langdalo, contra dis mille Equitibus, in Septentrionem, ob eam cauſam profectus eſt: apud Sherburnam enim Eboracenſem Poinzio, Copleio, & aliis, fuſus primo fugatuſque eſt; poſtea apud Carkolam à Brovvnio & Lesleio Ducibus; & omnibus copiis exutus, in Inſulam Monam ad Comitem Derbienſem fugit. Vnde non multo poſt, in Hyberniam ſe contulit.

Fugato ad Sherburnam Digbeio; Regis ſecretæ Chartæ denuo intercepte ſunt. Quibus conſilia ejus in futurum, & nonnulla hactenus abdita, aperiebantur; de Danorum & Hybernorum auxiliis, aliiſque multis innotuit. Digbei incuriam multum culpabant Regii Oxonienſes, quod chartas ejuſmodi, vix munitionibus tuto committendas, in medias hoſtium acies portaſſet; cum Nazebienſi clade ſatis doctum eſſet, quantæ hinc turbæ oriri poſſint.

Digbeio jam in Hybernia, & cum Ormondio Prorege (circa finem *Decem-*

cembris) de pace cum Hybernis conficienda, agitante; periclitari Res Regis subito visæ sunt, divulgata Glamorgani Comitis (de qua superius factum) secreta cum Hibernis Rebellibus transactione. Ormondius, Digbeiusque veriti ne, si hæc in Vulgus efflucrent, & authoritate Regis gererentur, tum omnes hactenus rumores fidem reperturos; nempe Regem authorem Hibernicæ Rebellionis fuisse, & Papismum reducere velle; de Protestantium omnium defectione metuenda sit, & quamvis Digbeius Glamorganum hominem improvidum existimavit, non tamen adeo stolidum, ut talia, nullo jussu, moliretur; consensum est igitur, ne, si morentur, dum res latius emanaret, sero esset Regem vindicare, ut Digbeius propere Glamorganum Perduellionis accusaret: timebant vero Ormondius & Digbeius, quoniam jactabantur tria millia Hibernorum ad Cestriam liberandam, ne importuna Regis vindicatione Cestria amitteretur, priusquam copiæ illæ transportatæ sint, sed ubi cognovere quod, juxta pactum,

Hi-

Hibernorum Copiæ non in Angliam mittendæ essent, priusquam Rex, impactis conditionibus à Glamorgano dimissis, pacem confirmasset; & dubitantibus Ormondio & Digbeio quid in tam perplexo negotio faciendum, nunciabatur, re per Urbem Dublinum comperta, Protestantium animos tumere, & extrema paucis horis metuenda, nisi quamprimum obviam eatur; Digbeius festinare coactus est; & Glamorganum (non ignarum hæc populo decipiendo simulari, ideoque interritum animo) Majestatis accusat. Magna vero fiducia & alacritate in custodiam ibat Glamorganus, affirmans, *se Londini & coram Parliamento rationem eorum, quæ Regis jussu fecisset, reddere non vereri.* Hæc vero ficta accusatio miram in Dublinensium animis conversionem fecit; & Protestantes, qui paulo ante tremebant, placati sunt.

Sed altera restabat extricanda difficultas; timebat Ormondius ne Hiberni, ob Glamorgani injuriam acrius incensi, ad arma subito prosilirent, imparatis ad bellum Regiis. Cui periculo

riculo ut obviam iret; Litteras Mu-
kerio scribit de rationibus hujus fa-
cti, & extrema necessitate; simul con-
ditiones pacis, ut Rebelles Hybe-
eas proposuerunt, approbatæ, & Kil-
kenniam missæ sunt, ambiguo eventu.
Hæc pro tempore facta sunt, dum no-
væ spes de Cestriæ liberatione, aut a-
liis supplementis Regi orirentur.

Nihil vero omnino his Technis ef-
fecit Rex; frustratæ omnes ejus ma-
chinationes, nec unquam in Angliam
vel Hybernorum, Rebellium, vel Lo-
tharingorum, vel Danorum exercitum
adducere potuit (melius illi Regno
providente Numine) dum tandem o-
mnes ejus copiæ à Parliamento ubi-
que victæ, debellatæque sunt. Mense
enim insequente (videlicet Februario)
illa ipsa Cestria, de qua tantopere sol-
licitus esset, Urbs toties obsessa, &
jamdiu acriter à Birono defensa, in
Parliamenti potestatem venit, quam
Præfectus honorificis conditionibus
Breretono tradidit.

Nec dissimilis fortuna, per cunctos
Angliæ Comitatus, Regiis Partibus
fuit.

Nam

Nam præter totum Occidentem, tot campestribus victoriis, & Urbium expugnationibus, à Fairfaxio (illa Hyeme, & sequente Vere) domitum: Mediterraneis etiam Regionibus, Septentrione, & Wallia, variis Prœliis, toto illo tempore, victi sunt Regii, a clarissimis Masseio, Poinzio, Brovvnio, Rossitero, Mittono, Gellio, Heertono, Laughornio, aliisque Parlamentariis Ducibus. Et Martio Mense, (quæ postrema fere campestris victoria) ipse Ashleius, Imperator Regius à Morgano victus honorifico Prœlio fuit, ubi mille sexcenti milites capti, inter quos ipse Ashleius, quem his verbis locutum fuisse ferunt: *actum esse omnino de Regia Causa; nisi intestinis Victorum dissidiis collapsas res restituant.*

Jam Nevvarkam validissimum Regis præsidium, quod vicinas Regiones tenuit, multumque infestâsset, à Levenio, Poinzio, & Rossitero arcta obsidione cinctum est; & imperator Fairfaxius post receptum Occidentem, compatratis necessariis, ad Oxoniam, belli caput, obsidendum festinabat, nullis

Regi

Regi relictis præsidiis præter Bamburiam, Wallingfordiam, Vigorniam, Raglandiam, & Pendennis, quæ omnia paulo post expugnata, in hoc tantum gloriabantur, quod post Oxoniam deditum Partes Regias sustentassent.

Nevvarkii obsessi quanquam pestis in opido grassabatur, & fame laborare inceperunt, spe tamen quadam contentionis inter Anglos & Scotos, & inde motuum, sustentari videbantur.

Scoti enim de non solutis militi stipendiis, de neglecta Religione, & Fœdere querebantur. Respondet Parlamentum, Scotorum exercitum, biennii tempore, longe plus quam ducenta millia librarum soluta accepisse; præter grandem Pecuniæ summam, quam ipsi per Provincias Boreales (inter miserorum gemitus, lacrymasque) vi extorserint. Scotos spei Anglorum, non satisfeciisse: sed otiosos, optimo anni tempore, contra Parlamenti hostes non navasse operam. Si vero Fœderis observatores sint: cur præsidia Scotorum Novocastro, Tinmuthæ, & Carleolis contra Fœdus im-

posuerint? de Religione autem non
num esse ut quidquam objiciant,
m in eo negotio jam laboret Par-
nentum, quod consiliis & tempore
iendum sit.

Ex his dissidiis Rex etiam aliquid
commodi non potuit non sperare,
jam Oxonium à Fletwodo & Ire-
o cinctum, Fairfaxii ipsius ad-
tus, & arctior Vrbis Obsidio, in-
expectabatur. Antequam hæc
erent, Rex Oxonio excedere statuit:
nito cum Intimis aliquot consilio,
id in re tam subita facerent; ante
nia Scotorum castra placuerunt.
Scotos igitur Nevvarkam obsiden-
Monstreulium Gallorum Legatum
sit Rex. Itaque ipse, paulo post,
vi habitu, Ashburnhamium cum
timis insecutus, ignoratus cunctis,
onio Nevvarkam evasit.

Ab hoc incœpto dissuasus est à qui-
dam, quibus Regni incolumitas
æ fuit; & potius ut se Fairfaxio tra-
eret, (id enim bello probabiliter fi-
em impositurum) oratus. Sed obfir-
aturin ea re Regis animus; nec du-
avit quin, gliscentibus indies dua-

rum Gentium diſſidiis, Scotis acceptior eſſet, & ab injuriis tutus, atque etiam hoc pacto, vel pacem fieri ſuis conditionibus, vel novum bellum accendi poſſe videbatur.

Rex ad Monſtreulii ædes primo divertit, inde ad Southvvellam in Scotorum caſtra venit. Obſeſſi Nevvarkii, intellecto ejus adventu & ad extrema deducti, conditionibus Vrbem dediderunt.

Scoti vero, tanquam inopinato caſu attoniti, rem delegatis Anglorum ſignificabant, de qua etiam celeriter & ad Edinburgum, & ad Londinum ſcripſere. Parliamentum Angliæ, ut Scoti Southvvellæ Regem detinerent, poſtulat. Illi vero, contra hoc poſtulatum, ad Kellhamum, ubi major exercitus Scotici pars, avehunt; & paulo poſt, non expectatis Parliamenti Anglici decretis, caſtra moverunt, & in Septentrionem, ad Novum Caſtellum Regem ſecum abduxerunt.

Scoti abitum ſuum excuſarunt, *quod Nevvarka dedita, nihil jam ſibi operis relictum ſit.* Affirmant vero *Regem ſponte ſua, & impreviſo illis adveniſſe*

ita exercitum, nec suadentibus illis, nec vetantibus, secutum esse. Festinabat vero discessum eorum Rumor (sive verus, sive prætextu falso quæsitus) Crumvvellum cum toto Equitatu contra illos festinare.

Graves Anglorum, de ea re, & in Scotos, & in Regem querelæ; illis aperta Fœderis & Contractuum violatio objecta: Illi vero imputatum est, *quod iniquissimam, hoc negotio, pervicaciam ostendisset; quod Anglorum Gentem (quam tam diu afflixisset, jam etiam Rebus fractis) in tantum sprevisset, ut in Anglia; omisso Parliamento Angliæ, ad Scotos, eorum stipendiarios, se contulerit. Si pacem curet, cur eam per conditiones, quas amplecti, præter necessitatem temporum, salus publica suaserit, oblatam contemnat, & potius Belli nova inter Fœderatas Gentes incendia quæsiit?*

Initio Mensis *Maii* Imperator Fairfaxius cum toto exercitu in conspectum Oxonii venit, stativisque circa Urbem positis, à Glenhamo præfecto deditionem postulavit. Glenhamus ad Regem se missurum respondet, e-

jus ſententia cognita, quæ in rem præſentem forent, ſe facturum, hoc reſponſum pro nihilo habitum eſt. Fairfaxius vero ſecum reputans (eademque Ductorum omnium ſententia fuit) Obſidionem gravem fore, longique temporis, Vrbis quippe ad ſummum robur munitæ, nec præſidio impari, millibus nempe quinque militum, veteranorum fere omnium, commeatu præterea in longum tempus inſtructæ, armis, cunctiſque ſuſtinendæ oppugnationi commodis. Hac tamen ſpe alebatur; quod ex litteris, & per exploratores cognitum eſſet, diviſas intra Urbem mentes, & maximam eorum partem (Procerum præcipue) deditionem velle, ut conditiones, dum detur tempus, integras acciperent.

De conditionibus igitur diſputatum fuit, de quibus non ſolum inter Urbem Caſtraque, miſſis utrinque legatis; ſed in Parliamento Londini maxima diſceptatio, in qua ſtatutum tandem fuit, conditiones obſeſſis commodiſſimas potius dari, quam ante munitiſſimam Urbem exercitum pro-

tio-

tiosum consumi, cum multa interim publico adversa incidere possent, præcipua, vero causa conditionum largitarum fuit; ut Victor exercitus, æstate jam media, ad vindicandam contra Rebelles immanes, miserrimam Hiberniam proficisceretur: sed hoc tam pium Parliamenti Consilium, transitione Regis ad Scotos, (de quibus jam ortæ suspiciones) frustratum omnino fuit. Regem vero hoc ipso consilio transisse ad Scotos creditum est, ex literis ipsius (postea captis) scriptis ad Ormondium, Priusquam ex Oxonio discessit. *Speramus hoc institutum nostrum, quamvis Personæ nostræ periculosum videri posset, bene cessurum Hiberniæ, retardando Rebelles (Parliamentum) ne copias aliquas in illud Regnum transmittant.*

Sic Oxonium deditum est, & ad diem dictum, præsidium militari agmine, per dispositos Fairfaxiani exercitus Ordines, magna utrinque modestia, abductum fuit.

Dux Eboracensis Londinum ad Regiam Prolem deductus est, quo reliqui fere omnes Proceres se contulere,

nec ulli omnino obsessorum Londini visendi potestas negata est. Palatini vero Principes Rupertus & Mauritius regno excedere jussi, cuncta ad abitionem præparabant.

Magnum Angliæ Sigillum (cum aliis Majestatis insignibus) in Bibliotheca repositum. Quod postea Londini, Parliamenti jussu (Parliamentum enim ante Triennium, translato ad Regem hoc Sigillo, novum fecerat) cum aliis minoribus sigillis, fractum est.

Princeps *CAROLVS*, circa hoc tempus, rebus, viribusque Regiis in Occidente diffidens, à Syllinis Insulis, cum paucis suorum intimis, in Jersseam Insulam aufugit, ut inde in Galliam ad Reginam Matrem navigaret.

Dum in Jersea manebat Princeps, Orabant Regem tam Anglorum, qui Scotorum Deputati, ut filium intra Regni sui fines contineret, ne si in Galliam proficisceretur Princeps, incommodum foret hoc tempore, & pacis jam speratæ obstructio. Rex, dum de hoc se cogitaturum dixit, brevem interea hanc Epistolam Principi scripsit.

Ca-

CArole, tantum ut intelligas, ubi sim, & ut valeam, non ut te hoc tempore dirigam quid agas, scribo. Quid enim te agere velim, Matri tuæ jamdudum significavi, cui in omnibus, Religione exceptu (de qua te illam non sollicitaturam scio) velim ut obtemperes; nec aliquo sinu illius, aut meo jussu abeas. Sæpe mihi scribas.

Benedicat tibi Deus.

Pater tuus amantissimus,

C. R.

Intercepta est hæc Epistola à Novo Castello ad Jerseam parva limba portata, & magno utriusque Parliamenti dolore perlecta.

Oxonii deditionem secutus est parvo tempore belli tam ferocis finis; Vigornia enim, Wallingfordia, Pendennis, & Raglandia Victoribus etiam se dedidere.

Pax jam Anglis reddita videbatur; nondum tamen Securitas, Parliamentarii enim (debellato penitus communi hoste) factionibus graviter inter se laborabant. Infelicibus Presbyterorum,

rum, & Independentium nominibus divisus est Senatus ipse; nec in iis solum, quæ ad Regimen Ecclesiasticum pertinebant; sed aliis fere omnibus negotiis quotidie transigendis, dissidentibus inter se suffragiis, digladiatum est.

Eadem differentia (Presbyterorum videlicet & Independentium) non solum in Senatu, sed in Urbe Londinensi, in Provinciis, & in Castris quibusdam jactata, res plena periculi videbatur. Cumque eo nomine Massæi copias (optime de Republica meritas) quæ tunc ad Devizas stativa habuerunt, tumultuaturas verebatur Parliamentum, Imperator Fairfaxius ab Oxonio in Occidentem remissus est, ut illas Massæi copias (videlicet bis mille, & quingentos Equites) finito jam bello, dimitteret, quæ res intra Octidum pacato successu perfecta est, & tanta militum Manus, quanquam non omnibus stipendiis tunc numeratis, prompta obedientia, vexillis suis valedixerunt, magnam quidem Massæus (in hoc, ut in aliis rebus) laudem meruit, cujus cura apparuit, ut res tanta

tanta ſine tumultu aliquo finiretur.

Bello peracto, Fairfaxius Parliamenti Anglicani fortiſſimus Soſpitator, Londinum medio Novembre reverſus eſt. Maximo boni omnes deſiderio tenebantur tantum videndi Bellatorem, & immoderati affectuum, non poterant non impenſe illum admirari, cujus fortitudine triſtibus exempti periculis, Pacem feliciſſimam tandem expectabant.

Proximo adventus ejus die, ut Parliamenti gratitudinem ſentiret, miſſus eſt à Domo Procerum Prolocutor Mancheſtrius, comitantibus, Northumbrio, Pembrochio, aliiſque nobilibus, qui adventum ejus gratularetur, & immenſas, pro præſtita Regno fideliſſima, feliciſſimaque opera, gratias ageret.

Digreſſis Proceribus, Lenthallus Prolocutor Domus Communium, cum trecentis fere ejuſdem Membris, ad gratulandum Imperatorem ingreſſi ſunt, quem Lenthalus compoſita oratione alloqutus, multa de magnitudine Rerum ab eo geſtarum, exemplis ab antiquis, clariſſimiſque Heroi-

bus conquæsitis, recensuit; ad finem subijciens; *Te, Imperator, posteri mirabuntur, & colent, & Populus Anglicanus, cum parem meritis tuis gratiam non possit reddere, hanc semper debet tibi, ut Dei Instrumento, quo bella nostra incredibili successu finita sunt, libentissime fatetur.* Ad hæc modestissimus Fairfaxius pauca respondit, *non tali se dignatum Honore, pro quo tamen Parliamento se humillimas gratias agere; & hoc maximam sibi felicitatem ducere, si aliquo modo Dei Instrumentum pro Patriæ suæ bono fieri possit.*

Non diu Londini moratus est Fairfaxius, mox argentum cum Præsidio, ad Scotos in Septentrionem ducere jussus, de quibus postea.

Sed ad Regem, Scotosque revertamur. Sexto die *Maii*, multo antequam deditum est Oxonium, Parliamentum Angliæ, intellecto Regem apud Scotos esse, post spreta etiam à Scotis eorum postulata, nempe ut Southvvella detineretur; utque Ashburnhamus, aliique ejus Comites Londinum mitterentur (neutrum enim fecere Scoti) Ashburnhamum, reliquosque evadere passi,

passi, & Regem in Septentrionem secum abducentes) Post longam in utraque Domo disceptationem, tandem decrevere; *Personam Regis ex sententia utriusque domus Parliamenti Angliaci disponendam esse.*

Scotos vero, multis se excusantibus, & Regem tradere negantibus; acre inter duas gentes ortum (quod etiam Regem suosque multum sustulit) & quod utrisque pernicioſum fieri posse videbatur, dissidium.

Variæ de hoc negotio querelæ, variæ, per multos Menses, Verbis, scriptisque altercationes.

Scoti, Regem non minus Scotiæ, quam Angliæ esse disserebant, ideoque jus aliquod esse illi Regno, in Persona ejus disponenda. Angli Personam ejus esse disponendam ex sententia illius Regni, in quo tunc esset; id vero mirandum esse, *Quod exercitus Scotorum Parliamenti Angliæ stipendiarius, quique Pactione inter utramque Gentem, consensu Delegatorum utriusque gentis regendus esset, Regem tamen Angliæ, in Anglia, sine consensu, vel notitia Delegatorum Anglorum, ad se reciperet,*

& ad Novum Castellum (oppidum Anglia) abduceret; ibique sine consensu Parliamenti Anglia detineret.

Inter hæc tamen dissidia (quæ ne in perniciem utriusque gentis cederent, exaggerantibus omnia inimicis & factiosis) effecit quorundam prudentia, de summis rerum, & bono publico necessariis, unanimiter & amice inter utramque Gentem, nempe de Propositionibus, *pro firma & bene fundata Pace*, Regi mittendis disceptatum est, & tandem consensum, ut ad Novum Castellum Propositiones 19. (totidem enim erant, quas omnes recensere, cum alibi plene descriptæ sunt, non est hujus Opusculi) Regi mitterentur.

Propositiones hæ decimo quinto *Julii*, 1646 ablegatæ ad Regem, & Novi Castelli per utriusque Domus Delegatos, nempe Comites Pembrochiæ, & Denbeiæ, & Baronem Montacutum, cum sex è Communium Domo illi in manus traditæ; præsentibus etiam & assentientibus Deputatis à Scotiæ Parliamento.

Ut vero Rex secum, ut Rege non victo aut captivo, agi sentiat, humillimum

mum hoc Exordium, consensu utriusque Parliamenti, Propositionibus præfixum est.

MAJESTATI vestræ placeat.

NOs *Proceres & Communes Anglia Parliamento congregati, nomine & ex parte Regnorum Anglia & Hibernia; & Deputati à Parliamento Scotia, nomine & ex parte Regni Scotia, Supplices offerimus* MAJESTATI *vestræ humillimas petitiones, & Propositiones de firma & bene fundata Pace, in quibus vestra* MAJESTATIS *astipulationem supplicamus; utque hi & omnes supplices libelli* MAJESTATI *vestræ offerendi in horum, vel cujusquam horum prosecutione, sanciantur, & decernantur ut statuta, & Acta Parliamenti vestra Regia astipulatione, in Parliamentis utriusque Regni respective.*

Dum apud Regem in Novo Castello moratisunt Delegati, Proceres, Commu-

munesque Parliamenti Angliæ multum, suppliciterque orantes ut Propositiones [non multo altiores illis, quas Uxbridgæ, ancipiti adhuc bello, Majestati ejus oblatæ essent] signare tandem, & sancire dignaretur. Idem etiam assidue fecerunt Deputati à Parliamento Scotiæ, aliique quotidie, qui renovatas preces in eundem scopum à Parliamento Scotiæ Edinburgi congregato obtulerunt.

Sed incassum cecidere utriusque Regni Preces. Rex enim astipulationem suam obstirmato animo denegabat. Multa vero indies in particularibus causatus est, quibus mora aliquot Mensium nectebatur, & negotia utriusque Parliamenti retardata sunt; inopportuno sane tempore, cum dissidia non solum inter duas gentes, de stipendiis, aliisque verita sunt; sed in ipso Parliamento Anglicano, & Vrbe Londinensi inter Presbyterorum & Independentium factiones. Vnde spe non improbabili intumescebant Hostes; & hinc forsan Regis mora.

Sed cito evanuere spes illæ hostium, & dissidia Parliamentariorum composuit

posuit hæc aversatio Regis; adeo ut utrinque unanimiter disceptatum est, quomodo Regnorum negotia sine Rege (quando aliter non potuit) constituerent; actum igitur est in Parliamento Angliæ de solvendis Scotorum Genti, pro navata in his bellis opera, pecuniis, & consensum tandem ut *quadringenta millia librarum* Scoti acciperent; cujus summæ dimidium, nempe *ducenta millia* in præsenti solveretur, post cujus Pecuniæ solutionem, Scoti Præsidia omnia Anglicana, nempe, Bervicum, Carleolum, & Novum Castellum, in manus Parliamenti, secundum Fœdus, traderent. Agitatum est etiam, non sine multa longaque disceptatione, ubi Regis Persona, si Propositionibus astipulationem suam omnino denegaverit, disponeretur; in quo conventu, concessum est Scotis à Parliamento, ut Regem (si illis ita placeret) Edinburgum abducerent.

Hoc vero recusabant Scoti, affirmantes Præsentia ejus, in Regno iuompositio, novos tumultus excitari posse; se potius cupere Regem in Australes

ſtrales Angliæ Partes abduci, ut prop
Londinum, in aliquo Palatiorum ſu
rum eſſet; id enim commodius pa
pace agitanda fore (tanquam non
dem periculum Anglis à præſentia Re
gis immineret) quodque etiam Rex
maxime deſideravit; adeo ut in tot
hac diſceptatione, non qui haberent,
ſed qui non haberent Regem, conten
dere videbantur.

Dum hæc agitantur; & Aſſenſu
Regius Propoſitionibus illis indies ab
utroque Regno humillime poſtulatus
eſt; Comes Loudenius ſummus Sco
tiæ Cancellarius, ſub finem Auguſti in
conventu Procerum ab utroque Re
gno Delegatorum, ſic Regem alloc
tus eſt, cujus Orationis; quoniam ad
totam rem explicandam plurimum
conducit, maximam partem habes
lector.

Ple

PLacuit Majestati tuæ Deputatis Scotici Parliamenti, proximo die Lunæ convocatis, Propositiones impertire; & Responsum tuum, antequam redderetur, illis communicaturum promisisse. Adeo autem breve est statutum Deputatis tempus, magnique adeo momenti Majestatis tuæ responsum ad Coronæ, Regnorumque tuorum vel salutem, vel ruinam, ut nec Deo maximo, nec Fidei nostræ responderemus, nisi remonstremus Majestati tuæ quam necessarium sit (in tanta rerum angustia) ut assensum tuum his Propositionibus præbeas; quamque immedicabilis morbus, vel subita ruina repulsam hanc tuam certo sequetur.

A Posteriore, nempe Morbo, exordiar, postea de remedio. Discrimina inter Majestatem tuam, & Parliamentum (nemini magis quam tibi ipsi cognita) usque adeo nunc exacerbata sunt, ut nullo modo, nisi præsenti pacificatione (post tot funestas dimicationes) componi possunt; nec certissima ruina averti.

Parliamentum naves tuas possidet, Arces omnes, Opida, & Præsidia Regni tenet. Vectigali tuo, Tributis, & Sequa-

stratio-

stationibus fruitur. Authoritate ejus & milites & pecunia coguntur. Et post tot victorias, prosperosque successus stantem jam habet validum instructumque exercitum, qui (viribus tantis) prohibito suo quidvis & in Ecclesia, & in Republica agere possit. Quidam praterea ideo metuunt, alii nolentes sunt Majestati tua imperio subesse; ut non omnino cupiant vel Te, vel ullum ex sobole tua illis diutius imperare; [Populus vero belli tadio, & gravissimis pressus oneribus, quamvis Pacem summe cupiat, ita tamen ab abolitione Monarchia (in qua opulenta pace diu floruit) abhorret; ut illi, qui Regiminis tui pertasi sunt, non audeant illam penitus abiicere, donec Propositiones de pace, semel saltem, Majestati tua obtulerint, ne vulgus (sine cujus concursatione instituta sua perficere nequeunt) ab illis dilabatur. Itaque cum totus Populus belli pertasus, securitatem à pressuris & arbitraria potestate cupiat, Honoratissima Domus Parliamenti in has Propositiones Majestati tua offerendas convenerunt, ut sine quibus nec Regnum, nec Populus in tuto esse possit; nec alio pacto solida pace se fruitu-

ram

sperat major Populi Pars. Itaque Majestatis tua Amici, & Scotia Delegati, non sine reluctatione tamen, missionibus Propositionum (nulla enim omnino aliter oblata essent) assentire coacti sunt: aut odium cunctorum, tanquam adversarii pacis, incurrere. Nunc autem Domine, si Majestas tua (quod absit) has Propositiones sancire deneget, amicos omnes deperdes; civitatem, totamque regionem amittes: omnis enim Anglia, tanquam unus homo, conglutinabitur adversus te; & (spe reconciliationis sublata) timendum est, ne te cingant, & deponant, aliudque Regimen sibi quærant: à nobis etiam postulabunt Majestatem tuam in illorum manus tradere; Boreales Urbes præsidiarias reddere, & Exercitum nostrum ex Anglia amovere. Denique si Majestas tua stipulationem his denegare persistat, cogetur utrumque Regnum, pro mutua incolumitate, inter se convenire, Religionemque & Pacem sine Te stabilire. Quod (ineffabili dolore nostro) Majestatem tuam, & Sobolem possundabit. Si vero Majestas tua consilium nostrum (qui nihil in terris præ Majestatis tuæ throno stabiliendo

liendo cupimus) spreverit, & impotentia tua Voluntate Angliam amiserit, Majestas tua non permittetur intrare, & perdere Scotiam. Domine, corda nostra ... tigimus, ut Deus nos dirigat, oravimus, & de remedio malorum serio cogitavimus. Sed nihil aliud (rebus sic stantibus) videre possumus, quod Coronam tuam, & Regna tutetur, nisi ut Majestas tua, Propositiones has subsignet. In quibusdam (fatemur) magis ardua sunt quam (si nostra daretur optio) probaremus. Sed cum nulla relicta est alia via, qua curentur Regni vulnera, & consolidentur rupturæ illæ inter Majestatem tuam, & Parliamentum: humillime, fidissimeque consulimus, ut Majestas tua eis ex gratia (ut unico remedio procurandi firmam & beatam Pacem) assentiatur. Vnde bona plurima accedent, &c.

Sed nec hæc Loudenii oratio, nec conatus utriusque Parliamenti Regis animum flectere valuerunt; non tamen spem omnem abiicere Delegatis statutum est, sed in orando persistere: adeo ut his conatibus menses complures usque ad mediam hyemem productæ sunt; nec persuadere Regi

pote-

retant, ut aliquos Synodi suæ mi-
cos concionantes audiret; solis e-
Capellanis suis adhærebat.
ummū interea studium fuit, ut ami-
inter utramque gentem inviolata
ſervaretur, & Regna (rebus sic stan-
us) sine Rege, pacifice regerentur.
Post longam igitur inter Parlia-
entum Angliæ, & Scotiæ Deputatos
ceptationem, consensum est tan-
m de prædicta Summa; nempe ut
centa librarum millia Scotis con-
nuò solverentur, quam Pecuniam
ondini numeratam Fairfaxius Impe-
or cum parte copiarum ex Urbe re-
ndam curavit; & postea negotium
ud Skippono, datis sex Legionibus,
mmisit qui media hyeme profectus,
ense Januario Novum castrum ad
inam cum prædictis pecuniis venit.
Scoti, acceptis Nummis, Præsidia
nglicana (secundum Pactum) nem-
e Bervicum, Carleolum, & Novum
astellum in manus Parliamenti tra-
iderunt; & in Scotiam pacato agmi-
e redeunt, Regem quoque Delegatis
nglis, ut in Austrum duceretur, tra-
unt Scoti; quem summa observantia
Comi-

Comites Pembrochii, & Denbei, aliique à Parliamento Deputati ceperunt; & ad Palatium suum Holmbyam in Comitatu Northamptoniæ, honorifico stipatum Satellitio deduxere. Hæc Mense *Februario* facta sunt; quo tempore Comes Stanfordiæ & Goodvvinus, Asherstusque e Domo Communium à Parliamento delegati sunt in Scotia, ut Edinburgi de rebus utriusque Regni cum Parliamento Scotico agitarent.

Fractis penitus, debellatisque Regiis partibus, quæ contra Parliamentum suum, patriæque libertatem steterant; nondum tamen libertas tranquilla reddita est; & victoria magis quam securitas parta. Finito enim bello Civili, dissidium plusquam civile inter victores exortum est: quod ideo tristius bonis omnibus videbatur; quia inter eos, qui antea Communibus, conjunctissimisque Votis contra eundem (ut publicum) hostem vitas suas, & Fortunas omnes in aleam conjeciissent; quos eadem causa, idem Religionis reformandæ, libertatisque restituendæ ardor, eædem etiam Preces,

arcto conſcientiæ vinculo ligaſ-

Hac diviſione ſub Presbyteriorum, Independentium nominibus nata, paulatim indies latius diffuſa, tandem ultra modum exacerbatæ ſunt animantes hominum. Illi Fœdus violatum clamant; Hi non recte interpretatum ab illis diſſerunt, nec ita, ut ſuſceptæ Cauſæ, & ſaluti publicæ conducire queat. Clari utrinque honoratique viri; & qui juſtius arguebant, ſcire nefas; magno ſe judice quiſque certatur.

Non tamen primo in tantum diſſentiebant; quin contra Malignos (ſic Regiarum partium homines vocabant) acriter vindicare publicam cauſam unique videbantur. Longo opus erat tempore, dum pars altera, deflexis paulatim conſcientiis, inferior ſibi viſa, Malignorum adminiculo niteretur.

Prompti erant ad alterutram partem (ut utramque peſſundarent) auxiliandam Maligni; qui numero maximi (quamvis exarmati) nunc fuerunt, mutatis multorum animis ob preſſurarum gravitatem, & ad eorum partes tranſ-

transeuntibus. Plurimi quoque Londinensium, non tantum è plebe homines, sed melioris loci Cives, animos & Vota sua mutassent; adeo ut Urbs illa (derivata illuc Regiorum militum colluvie ex omnibus Præsidiis, quæ Fairfaxius incruentis victoriis ad deditionem compulisset) intuta ipsi Parliamento, sine exercitus auxilio, videbatur.

Hæc Presbyteriorum & Independentium dissidia (quoniam causæ, intentionesque hominum non satis notæ) ut obscura, & multa caligine involuta, brevius multo quam Bella aperta (quamvis hæc quoque breviter transacta sint) attingere nostrum et institutum.

Longum nimis esset, arduumque particulariter referre quot calumniæ passim in Exercitum illum (antehac dilectissimum, jam vero summam Independentium tutelam existimatum) ab adversæ factionis hominibus sparsæ sunt; ut Petitiones in Comitatu Essexiæ contra Exercitum (tunc, mense videlicet *Aprili*, stativa Waldenæ in eodem Comitatu habentem) factæ, subscri-

ceptioneſque quæſitæ; ut denique in ipſo Parliamento de illo exauctorando diſceptatum ſit; adeo ut tandem indigne ſecum actum putabat exercitus, jam merita ſua æſtimare doctus; Petitionemque Imperatori ſuo Menſe *Maio*, tradidere; in qua non tantum de ſtipendiis ſuis, ut Milites; ſed multa etiam de Republica ordinanda (id enim ad ſe, ut liberos Gentis Angliæ homines pertinere) diſſerebant, de qua multum querebatur adverſa fatio. His aliiſque altercationibus effectum eſt, ut milites Regem initio *Iunii*, tunc Holmbyæ à Delegatis Parliamenti cuſtoditum, è manibus illorum eriperent (quo conſilio, quibuſve ſuſpicionibus ignotum) & ſecum in Exercitu abduxerunt; ut Perſona ejus in Opido aliquo, vel Palatio ſtativis eorum proximo, maneret: quo audito, ab utraque Domo Parliamenti 1 die *Iunii* decretum (& decreta eorum ad Fairfaxium miſſa).

1. Ut Perſona Regis Richmondiam duceretur.

2. Ut iidem ſervi, quibus ante apud Holmbyam uſus eſſet, confamularentur.

3. Vt Rossiteri legioRegem stipa-

Proximo vero die à Fairfaxio, & generali Ducum ejus concilio missæ sunt Chartæ accusationem undecim Membrorum Domus Communium continentes. Crimina illis objecta generaliter sunt, Retardatio sublevationis Hiberniæ, quod contra Exercitum, item contra Leges, libertatemque populi multa egissent, & quod Justitiam obstruxissent, nomina accusatorum (clara multorum, & apud populum honorata) sunt Denzillus Holesius, Philippus Stapletonus, Guilielmus Wallerus, Johannes Mayus-dus, Gulielmus Levisius, Johannes Clotvvorthius, Milites; Masseius Major Generalis, Longus, Glinnus, Harleius, & Nicholls Armigeri.

Membris his accusatis unanimiter respondentibus se paratos esse ad respondendum objectis criminibus; ubi oblata est charta ab eisdem, postulans ut accusati illi viri, interim dum responderent, à sedibus suis in Parliamento suspenderentur, hoc primo non successum, ut arduum nimis & privilegiis Parliamentariis adversum; sed iter-

Ita parvo post tẽpore Exercitus postulatis, accusati illi viri, venia Parliamẽti impetrata, voluntariam secessionem ad sex Menses duraturam, fecerunt.

De Parliamenti decreto, ut Rex Richmondiam duceretur, excusavit se Fairfaxius, oravitq; ne id mandarent, dum pacatiores res essent; neve locum aliquem Regi assignarent Londino propiorem, quam quo stativa Exercitus esse permitterent. Roistonã postea deductus est Rex, inde Hatfeildã; postea ad Causamum, dum stativa Exercitus ad Readingam fuere: inde cũ Fairfaxius, cum exercitu Bedfordiam progressus est, Rex in Comitis Bedfordiæ Domo, prope Ouburnam morabatur.

Periculosissimam tunc in Urbe Londinensi conjurationem, tam civium quam Tyronum, aliorumque contra exercitum esse nunciabatur; nempe cives multos, Tyronesque clanculum nomina subscripsisse sua ad copias contra Exercitum contrahendas: de quibus Fairfaxius Deputatos ab Urbe, tunc secum in Castris agentes, certiores fecit; qui continuo Londinum ad sedandas illas turbas accele-

rabant, sed eo tempore inter duas exacerbatas factiones omnia tumultibus & suspicionibus plena.

Quibus indies auctis Decretum 21 die *Iulii* Parliamenti factum de mutanda Londini Militia, quæ quarto *Maii* stabilita esset, & in alios (ut Exercitui magis amicos) transferenda. Quo decreto incensa Civitas, Petitionem Parliamento 26 *Iulii* offerebat; quæ perlecta, mandatum potius quam Petitio videbatur. Hanc ad Parliamentum comitabatur tumultuosa multitudo, millia aliquot Civium, Tyronum, aliorumque effrænorum hominum; qui ad fores usque Parliamenti progressi, minaciter clamantes, decernendum esse secundum omnia in Petitione contenta, priusquam surgeret Domus; adeo violentia sua effecere; ut denuo decretum de prioni Militia stabilienda, aliisque extorserint; nec eo contenti, Prolocutorem, jam surgente Domo, rursus in Cathedram ejus propellebant; ibique illum reliquaque Membra (inaudita Parliamenti violatio!) detinebant; dum aliud Decretum *de Regis adver-*

Londinum, fieri coegerunt.

Post hanc violationem, comperendinatum est Parliamentum usque ad diem Veneris sequentem, nempe tricesimam *Julii*, quo die, absentibus utriusque Domus Prolocutoribus (illi enim, cum maxima Membrorum parte Londino ad Exercitum interea se contulerant) novi Prolocutores, nempe Hunsdonius pro domo Procerum, Elhamus Jurisconsultus pro Communibus, electi sunt. A quibus eodem die decretum fuit;

1. Ut Rex Londinum veniret.

2. Ut Militia Urbis authoritate ad cogendas copias pro defensione Civitatis instructa esset.

3. Potestas facta est eidem Militiæ Imperatorem copiarum eligendi. Decernunt quoque ut undecim prædicti viri ab exercitu antea accusati, ad Parlamentum revertantur.

His decretis armati Cives Londinenses ad comparandas copias (quibus Massæius Præfectus est) se accingunt.

Proceres interea, Communesque, qui ad Exercitum transiissent, cum Imperatore, reliquisque summis Du-

cibus consultantes, decernunt quod acta omnia, & decreta, quæ 26 Iulii, & post id tempus producta, essent, pro irritis & antiquatis haberentur; se quoque declarationi Imperatoris, & concilii Exercitus adhæsisse; decretum etiam ut Fairfaxius cum Exercitu Londinum progrederetur. Audito vero Fairfaxium cum exercitu appropinquare, Cives Londinenses detumescentibus paulatim animis, præsertim divisis inter se sententiis in Communi Vrbis Concilio, adeo ut impossibile videbatur copias, quæ Exercitui opponerentur, subito comparari; ad Fairfaxium de pacificatione mittunt, quæ his conditionibus concessa à Fairfaxio (consentientibus Parliamenti Membris qui cum illo erant) ut *Parliamentum jam sedens, & accusata undecim Membra deserorent, Declarationem suam nuper evulgatam revocarent, ut Militiam jam constitutam relinquerent; ut præsidia sua, ipsamque Turrim Londinensem Imperatori traderent; copias, quascumque comparassent, exauctorarent; aliisque quæ ad tranquillitatem necessaria videbantur*

quæ omnia, nemine detrectare auso, rata habebantur.

Sexto die *Augusti* Imperator cum Exercitu Westmonasterium venit; & cum illo utriusque Domus Prolocutores Manchestrius, & Lenthalus, cum Proceribus, & Communibus reliquis, quos omnes sedibus suis restituit. Fairfaxio Prolocutores ambo, nomine totius Parliamenti, gratias egerunt; eumque omnium copiarum, & Præsidiorum tam in Anglia, quam in Wallia Præfectum constituunt; & Constabularium Turris Londinensis, Stipendium quoq; unius mensis ut donum gratuitum, exercitui decretũ est.

Postero die Fairfaxius, & proximus illi in Imperio Cromvvellus, Skipponus, reliquique Duces cum universo exercitu per totam civitatem, ab occidentali ejus parte usque ad Turrim militari ordine progressi sunt. Vbi Præfecturæ aliquæ mutatæ, & postea Militia Londinensis aliter constituta.

Tum, ne nimia potestate tumesceret Vrbs; Militia ejus, decreto Parliamenti, divisa est, & potestas data Westmonasterio, Southvvarkæ, & Pa-

gis circa Turrim Londinensem, Militias proprias exercendi, & regendi.

Sic Presbyteriorum factio graviter depressa, & restauratum Parliamentum in antiquandis actis omnibus, quæ absentia sua, & per turbas illas producta essent, & puniendis seditionum authoribus, occupatum est.

FINIS LIBRI SECVNDI.

ORIGINIS ET PROGRESSVS II BELLI CIVILIS ANGLIÆ, BREVIS MENTIO.

LIBER TERTIVS.

REstaurato Parliamento, constituta Vrbis Militia, dispositisque aliis Præfecturis, Fairfaxius Imperator Londino excessit; & Exercitum suum, relictis tantum prosipatione Parliamenti turmis aliquot Equitum, Peditumque cohortibus, circa pagos, & opida vicina disposuit. Stativis vero præcipuis ad

ad Putneiam positis, medio *Augusti* mensis, Rex ad Palatium suum, omnium magnificentissimum, Hamptincurtum deductus est.

Dum Hamptincurti moratus est Rex, non captivus, ne dum omnino custoditus videbatur; sed in Aula vere Regia residere; adeo libere ad eum omnium ordinum populi (nullis prohibitis) ad visendum, salutandum, adorandum, manus ejus osculandum, & observantias quascunque præstandas convenere; nec è Londino solum, aliisque adjacentibus Angliæ oppidis populi illuc confluxere: sed ex transmarinis regionibus servi ejus, illi etiam, qui Parliamenti decretis vetiti, & pro Delinquentibus habiti fuerant, Ashburnhamus, Barclaius, aliique, nunc permissu Exercitus tuto advenere: quo vero consilio quibusve causis hæc permissio facta, mirabantur homines.

Quibus exemplis incitati etiam Consiliarii ejus, Oxonienses, Dux Richmondiæ, Marchio Hartfordiæ, Marchio Ormondiæ, Comes Dorsetiæ, Comes Southamtoniæ, & Baro

Seimorus, initio *Octobris*, ad Regem venere, ut cum illo, tanquam consiliarii, de Propositionibus Parliamenti, aliisque negotiis consultarent. Proceres vero illos à Rege accitos fuisse creditum est, sed eorum adventus Parliamento displicebat, nec id diutius tolerare voluit Exercitus; præsertim cum Rex nulla in re Parliamento adhuc satisfeciſſet. De quo admoniti Nobiles illi, postquam duos tantum dies Hamptincurti morati essent, ad domos quisque suas discesserunt.

Propositiones, septimo *Septembris* die, consensu utriusque Domus Parliamenti (astipulantibus etiam à regno Scotiæ Deputatis) missæ sunt ad Regem Hamptincurti; quibus humillime desideratum est, ut Rex responsum suum intra sex dies reddere dignetur. Huic negotio delegati sunt, pro Parliamento Angliæ, Comes Pembrochiæ, Baro Montacutius, Jacobus Harrington, Johannes Cooke, Johannes Holland milites, & Major Generalis Brovvne; pro Regno Scotiæ, Comes Loutherdaliæ, & Carolus Erskinus Miles.

Rex,

Rex, Quamvis Propositiones (ut antea) concedere denegabat, pauca tamen Parliamento scripsit; *Se aliquibus assentire posse, nempe de Presbyteria in tres annos constituenda, & de militia, ut antea oblata esset, concedenda: in reliquis vero se omnino dissentire: affirmabat quoque se potius exercitus Propositis auscultaturum.*) *Exercitus enim Proposita quadam, more Propositianum Parliamenti, de pace Regni stabilienda, evulgasset*) *postulavitque ut de Propositis illis consideraret Parliamentum.*

His tamen iteratis negationibus Regis non deterriti Ordines Regni, de Propositionibus iterum conformandis disceptabant; cum Deputati Scotiæ Londini residentes, (postquam Loudenius & Lanericus, qui nuper è Scotia advenerant, cum Rege Hamptincurti colloquuti essent) litteras Parliamento mittunt, in quibus postulant, ut Rex Londinum veniat, & in propria Persona cum Parliamento de rebus controversis agitet; illi ipsi Scoti; qui paulo ante in orationibus & Epistolis suis negabant æquum esse,

aut commodum Reipublicæ, ut Rex, ante præstitam satisfactionem & securitatem populo, ad Londinum, vel personalem cum Parliamento disceptationem admitteretur; quique illum in Scotiam recipere recusassent, ne turbas illic conciaret, jam ad Londinum, Urbem Malignis refertissimam & tumultibus opportunam, qua nec ipsum Parliamentum, sine Præsidio Exercitus, tutum esse posset, deduci cupiunt. Causam vero hujus postulationis afferunt, quod Rex invitus ab Holmbeya, sine consensu Parliamenti, violentia militum abductus, sub potestate Exercitus adhuc maneat, nec ea libertate fruatur, quæ Regi de negotio tanto perficiendo agitanti, consentanea censeri possit.

Sub finem vero Epistolæ, assensum suum ut Hamptincurti (si Londinum negatum sit) maneat; dummodo sub Exercitus potestate non sit; sed ea conditione, qua libere utroque ad illum utriusque Parliamenti Delegati commeare possint; Nihilominus de Propositionibus (quibusdam alteratis) ad Regem denuo mittendis occu-

par

vati sunt Ordines Regni; cum subito, inopinatoque Nuncio perculsi, Regem ex Hamptincurto clam aufugisse, litteris à Crumvvello ad Lenthallum Prolocutorem media nocte missis, certiores facti sunt. Duodecimo enim *Novembris* die, expectantibus Delegatis Parliamenti, & Tribuno Whaleio Satellitii Duce, dum Rex ad cœnam è cubiculo exiret, & cunctationem mirantibus, nona tandem hora, introierunt aliqui: Rege vero non invento, pallium ejus relictum & litteras Delegatis (& ab eis utrique Domui Parliamenti communicandas) propria manu scriptas invenerunt: in quibus, postquam de captivitate sua, & libertatis dulcedine pauca disseruisset; ut coram Deo protestatur, consilium hoc clam se subducendi, non ut publicam Pacem, agitationesve aliquas de ea stabilienda interturbaret, impediretve, se suscepisse: sed tantummodo ut saluti suæ (cui structas insidias intellexerat) consuleret. Sub finem vero his verbis.

Vt præcipuam recessus mei causam securitatem esse Personæ meæ non inficiabor:

ber: ita Pax publica) Deum contestor non minus quam antea coram oculis meis esse, quam Professionem meam non melius exprimi posse existimo (nescio quid putare prudentiores possint) quam importune efflagitando, ut intensiones omnes libere audiantur; ut eo modo omnibus satisfactum sit. Vt (exempli gratia) Exercitus) de cæteris, quamvis necessariis, non difficulter consensum iri existimo) libertate conscientiarum suarum (quod æquum esse puto) fruatur; decreto etiam oblivionis, & Indemnitatis (quod etiam reliquis omnibus subditis meis extendi debeat,) & ut Reliquiæ stipendiorum omnium eorum tempestive & celeriter persolvantur Quod ego, *in me libenter suscipiam, dummodo libere audiar, nec præoditus sim quo minus in legitimis illis & honestis rationibus (quod elogi, insistam; permittite denique ut cum libertate, honore, & securitate audiar, & nubem istam recessus mei subito perrumpam; ostendamque me paratum esse Patriæ officio fungi,*

Car. Rex.

Parliamentum vero, nuncio discessus Regis paulisper perculsum; tandem ne

ne pax Regni hoc negotio turbaretur, decernit fidos homines ad omnes portus maritimos celeriter mittendos esse, ne Rex in exteram aliquam Regionem evaderet; cumque nuntiatum esset (quamvis falso) Regem in Urbe Londinensi latitare; decretum est; *si quis Personam Regis clam detineret, nec Parliamento indicaret, damno fortunarum omnium ipsiusq; vita mulctaretur.*

Sed cito evanuit hæc nubes, & certiores facti sunt Ordines regni, litteras ab Hammondo Tribuno (nuper insulæ Vecti utriusque Domus consensu, præfecto) Regem ad eam Insulam profectum, se in Hammondi tutelam tradidisse; Hammondus quoque se paratum esse Parliamenti mandatis in omnibus obtemperare. Ordines Regni Hammondum laudant, imperantque ut summa diligentia Regem custodiat; honorifice tamen habeat, maximumque illi obsequium præstet; se vero curaturos promittunt, ne commeatus omnis generis, pecuniæve pro impensis Regiis desint.

Dum Ordines Regni de Propositionibus Regi in Insulam Vectem mitten-

tendis denuo deliberant; Regis litteræ, perlongæ illæ quidem, Prolocutori Procerum superscriptæ, communicatæ etiam Communibus, 18 *Novembris* perlectæ sunt. In quibus sensum suum animumque de multis, quæ Propositionibus antea sibi oblatis continentur, aperit; præcipue de Episcopatu abolendo, ex conscientiæ suæ Dictatu multa differit reliquasque varie attingit; de quibus omnibus se rationibus Parliamento suo satisfacturum sperat; si modo liceat propria Persona cum illis disceptare: qua causa id unum enixe rogat, ut cum libertate, honore, & securitate Londinum, personaliter cum Parliamento agitare, admittatur. Hoc Regis postulatum ut concedatur, non minori vehementia efflagitant Regni Scotiæ Deputati.

Ordines Parliamenti, his perpensis rebus, ne se, suosque prodere viderentur, si personalem Regis agitationem Londino (maligna jam civitate) admitterent, priusquam ullam omnino, post tot Regni calamitates, vel satisfactionem, vel securitatem præstitisset (quæ etiam Scotorum antea fuisset

ut sententia) mediam inire rationem audent.

Post longam igitur disceptationem, in hoc tandem consensum est *Novembris* 26; ut quatuor Propositiones, in statutorum formulam compositas, Regi ad Vectem Insulam signandas mitterent. Quibus signatis, Rex post hanc qualemcunque securitatem populo datam ad Personalem Londini egitationem admitteretur.

Propositiones in acta Parliamenti componendæ hæ fuerunt.

Vt signetur Billa de Militia Regni secundum Parliamenti decreta constituenda.

2. *Vt signetur Billa de revocatione omnium Regis Declarationum, Iuramentorum & Proclamationem contra Parliamentum, atque eos qui Parliamento adhæserunt.*

3. *Billa signetur, ut Comites illi, Baroneſque, qui post deportatum Oxonium sigillum magnum creati essent, Pares Regni non reputentur, nec locum in Parliamento teneant.*

4. *Billa signetur; in qua potestas data sit utrique Domo Parliamenti Sessiones*

suas,

suas, ad libitum suum comparendinand.

Ut quatuor hæ Billæ Regi mittantur, priusquam Londini de pace agitetur. Deputati Scotiæ assensum suum negant; & contra missionem illam, ipsasque Billas, declaratione oblonga, protestantur.

Missæ nihilominus sunt per Delegatos ex utraque Domo Parliamenti & 24 die *Decembris* 1647. in Castello Carisbroko Regi oblatæ, ut eas signet sanciatque. Rex vero intellectis Scotorum animis, & quibus eo tempore Vrbs laborabat factionibus; signare noluit, & assensum suum omnino denegavit. Re igitur infecta Londinum redeunt Delegati.

Tertio *Ianuarii* de responso Regis disceptatum est. Acris quidem, vehemens, & ardua de ipso Reipublicæ statu, & Regimine disceptatio fuit, multique de Regis obstinata aversione, & nimia populi patientia, apertis verbis disserebant; & querebantur, Regem, Billarum denegatione, *Populo Angliæ Protectionem, pro qua tantum Subjectio debita, denegasse; & sublata una, tolli quoque alteram:*

ram; iniquum vero esse & absurdum ut Parliamentum (tentato toties Regis animo) se, amicosque suos, qui fortiter in justissima causa, omnia in discrimen misissent, jam implacabili Hosti prodant: nihil jam sibi relictum, nisi ut saluti suæ, illorumq; amicorum consulant, & Rempublicam sine Rege (quando aliter fieri non possit) constituant.

Tandem vero 17 *Januarii*, consensu utriusque Domus, declaratio talis, & Decreta facta. *Proceres Communesque, Parliamento conventi, post multas à se factas ad Regem applicationes, ad amovendum, finiendumque bellum impium ab illo excitatum, contra Parliamentum & Regnum, nuper etiam missis Majestati ejus quatuor Billis, nihil, nisi quod ad salutem & securitatem Parliamenti Regnique spectat, continentibus; differentiis reliquis, ut Personali & Majestate ejus tractatu componantur, sepositis, illisque pertinaciter denegatis; obstrictos jam se esse existimant, ut modis omnibus annitantur quam celerrime Regimen hoc ita constituere, ut maxima inde Regno securitas in fruendis legibus suis & libertatibus, adnascatur; in eundem*

dem finem; & ne moras aliquas vel interturbationes in tam magno & necessario opere inueniat Parliamentum, de sequentibus hu deliberatum decretumque est.

1. *Declarant Proceres & Communes se nullas deinceps Applicationes Regi facturos.*

2. *Deliberatum est à Proceribus & Communibus in Parliamento conventu, nullam omnino Regi Applicationem ab ullo Hominum, sine permissu utriusque Domus, faciendam.*

3. *Deliberatum à Proceribus & Communibus in Parliamento conventu, Illum, Illosve, quicunque hoc decretum violaverint, perduellionis reos esse, & sic puniendos.*

4. *Deliberatum &cet. quod Proceres & Communes declarant se nullum deinceps nuncium à Rege recepturos; & praeceptum omnibus cujuscunque qualitatis sint, ne quis audeat nuncium aliquem à Rege vel recipere, vel ad utramque, aut alterutram Parliamenti Domum, aut alicui alii Personae afferre.*

His evulgatis Parliamenti Decretis, Declaratio Exercitus, *i. e.* Fairfaxii Im-

peratoris, Conciliique Ducum ejus neralis, Vindesoriæ tunc habiti, Ordinibus Regni humillime oblata est; ro qua gratiæ ab Ordinjbus Imperatoris Concilioque actæ sunt. Declarationis scopus ejusmodi fuit; & hæc præcipua Capita; primo, quod Parliamentum (sic illi existimant) post Leges, libertatesque populi multimodis à Rege violatis, impiumque ab eo, ad hunc finem, bellum excitatum; in vindicatione tamen Regni, bellique prosecutione, semper sollicitos de sospitanda Regis Persona, & conservandis privilegiis, prærogativisque illi debitis fuisse. Sed ita ut cum, & in salute, bonoque publico fieret hæc conservatio ejus, nec ut altiora jura nempe Religionis, Libertatis, Legum, & salutis Populi destrueret.

2. Sinceram Parliamenti de his intentionem, tot applicationibus ad Regem liquido patere.

3. Hac postrema (post alias omnes) Applicatione, qua nihil nisi quod securitati publicæ sit omnino necessarium, postulatum, & à Rege denegatum sit; dilucide constare, spem nullam

lam ulterius restare vel Rempublicam constitui, vel securitatem Populi, concurrente Rege, stabiliri posse.

4. Consideratis igitur Parliamenti Decretis, pro se, & totius Exercitus nomine, unanimiter declarant, stare tum esse sibi (Deo adjuvante) constanter adhærescere Parliamento, illudque pro viribus suis sustentare, in Decretis iis noviſſime factis de Rege, & in aliis omnibus, quæ ulterius necessaria erunt ad eundem finem prosequendum, & ad constituendam, stabiliendamque Parliamenti Regnique securitatem sine Rege, & contra Regem, aut quoscunque alios, illi deinceps adhærescentes.

Publica quoque Declaratio circa initium *Februarii* à Parliamento edita est, ut omnibus generaliter, de causis horum decretorum, satisfacerent. In qua (præter priora Regis delicta, aliis Remonstrationibus partim enarrata) quoties cum eo de Pace agitassent, declaratum est; quod, quamvis nunquam ad Tractatus aliquos vi coacti fuissent, septies tamen ad Regem, cum Propositionibus ad pacem, securitatem-

rumque regni neceſſariis, ſe applicaſſent; quæ Oxoniæ, poſtea Vxbridgæ denuo quoque Novicaſtelli, victo jam, debellatoque Regi oblatæ; denique poſt Scotorum diſceſſionem, Hamptincurti. Quæ quoties oblatæ, toties negatæ fuiſſent; &c.

Tali declaratione irrequietas hominum mentes delinire conatur Parliamentum. Sed nullis argumentis, nullis edictis tanti animorum motus comprimi, aut ingruentes inde tempeſtates ſedari potuerunt. viribus opus erat, & ſolerti conſilio ad conjurationes indagandas, & ſupprimendos, qui timebantur, populi tumultus. Exercitus igitur Pars, quanta ad hæc ſufficere videbatur; circa Weſtmonaſterium in ſtativis diſpoſita: Et Menſe præcedente; cum ardua hæc moliretur Parliamentum; Delegati ſunt Proceres aliquot, & Communes ex utraque Domo, qui pro Republica invigilarent; qui Domo Derbienſi conſeſſum ſuum obtinerent, & concilium ſalutis publicæ nominarentur. In eodem loco ante hac conſediſſent Delegati utriuſque Regni, nempe Angliæ

&

& Scotiæ; quibus data potestas sup-
primendi tumultus, & insurrectiones
omnes, eoque nomine Militias exci-
tandi, cogendique: eadem potestas
his Delegatis ex utraque Domo (qui
etiam utriusque Regni, nempe Angliæ
& Hiberniæ tutatores) concessa est.
Membra hujus Concilii fuere Septem
Proceres, Comites videlicet Nor-
humbriæ, Cantii, Varvici & Manche-
striæ; Barones Say, Wharton, Ro-
berts. Communes tredecim, nempe
Guil. Peirepoint, Nath. Fiennes,
Henricus Vane Senior, Juniorque,
Guil. Arminus, Arthurus Hazzlerig,
Gilbertus Gerard, Joanes Evelin mi-
lites; Oliverus Cromvvellus, Olive-
rus St. John, Robertus Wallop, Joan.
Crevv, Sam. Brovvne, Armigeri.

Non unquam magis periclitabatur
Parliamentum, quamvis victore, qui-
vis valido stipatum Exercitu, nullis
contra comparentibus copiis; belli
enim fervidam æstatem fore, jam Ve-
re ineunte, vaticinabantur cuncti;
dum factionibus divisas Provincias,
Scotiam minacem, plenam tumul-
tibus Vrbem Londinensem cernerent.

Et

tristiora, ubi nihil videbatur, ni-
ere, aucto indies horrido de secre-
conjuratoribus, & clandestinis per-
dissium cœtibus, rumore. Hinc cæ-
, bella, minas, præsentire animis,
Nautæ mox orituram Tempesta-
tem solent,

cum longo per multa volumina tractu
Æstuat unda minax; flatusque in-
certa futuri
Turbida testantur conceptos æquora
ventos.

Regiis (quos malignos vocant) intu-
uere animi, non sibi jam victi, sed
victores visi, nec se temperare pote-
rant, quin audacter ubique ascensum
Regis, Parliamenti ruinam jactita-
bant. Eadem hæc à Presbyteriis desi-
derata videbantur; qui odiis suis in
Independentes, se, causamque immo-
derepatati, quod sibi non liceret face-
re, infectum cupiebant; & libertatem
potius à Rege omnino tolli, quam
ab Independentibus vindicari.

Ipse Rex, quamvis sepositus, & in
insulam Vectim seclusus, magis hac
parte metuendus, quam aliis, tum
validissimis stipatus exercitibus pet

Provincias fulminabat. Latius jam perabatur nomen Regium; & auctiorem personæ ejus Majestatem reddidit miseratio. Princeps quoque Carolus absentia sua & ipso exilii nomine desiderabiliorapud vulgus per Diplomata (secretò à patre missa) quæ legitima instructus potestate, volentibus facile imperabat; & mandatis suo nomine editis non tumultus tantum, sed bella (ut postea apparuit) excitare potuit.

A tumultibus inceptum est; & ipsa Urbe, à qua etiam secutæ per vicinas provincias insurrectiones originem suam traxere, à ludibundis per agros civitatis die Dominica, nempe nono *Aprilis* 1648, servis tyronibusque civium, facta seditio prima, qui magistratus imperia contemnentes, Ducem urbanæ cohortis adorti, fustibus lapidibusque è Campo pepulerunt; & vexillo ejus detracto, Westmonasterium versus, confuso agmine (quibus effræna plebis infimæ multitudo se adjunxerat) vociferantes se pro Rege Carolo esse, progressi sunt; quos omnes Turma Equitum cito dissipavit; qui

ni Londinum regressi (confluentibus etiam undique seditiosis) tota illa nocte integro agmine constiterunt, terrore omnia complentes: adeo ut ipse Urbis Prætor Warnerus Parliamento fidus, etiam domo sua elapsus in Turrim se recepit. Primo mane Fairfaxius Imperator, ut principiis tanti mali obstaret, priusquam sceleratorum concursu immedicabile efficeretur, validam exercitus partem in Urbem misit. Qui fusis Seditiosis, & in Aulam plumbeam (vocatam) compulsis (ex quibus aliqui captivi abducti) tumultum mira fortitudine, nec minore prudentia sedarunt. Gratiæ Imperatori tam à Parliamento, quam à probis civibus, pro erepta tanto periculo Vrbe, actæ sunt; & pecuniarum mille libræ militibus dono datæ.

In Petitionibus quoque, tam maligno tempore latebant tumultus & bella; ut in Comitatibus Surræ & Cantii evenit. È Comitatu Surræ trecenti circiter Westmonasterium 26 *Maii* advenerunt, Petitionem Parliamento offerentes; in qua non orare, sed altis verbis postulare videbantur,

ut *Rex dignitati pristinæ statim restituatur, & VVestmonasterium cum honore, libertate, & securitate veniat, personaliter illic de controversiis agitare; ut exauctoratis exercitibus, liberi Angliæ cives notis legibus & statutis regantur*; cum aliis ejusmodi; nec moram ullam, dum scilicet de Petitione disceptaret Parliamentum, passim Provinciales, qui illam afferebant, tumidi, & insolentes, plerique etiam vino madidi, non maledicere solum, & dira precari Ordinibus contenti, sed milites etiam, eorum stipatores adorti, quosdam male multabant, unum occidebant, terrore omnibus injecto, donec ad auxilium sociorum, accitis è vicinis præsidiis aliquot Equitum, Peditumque cohortibus, victi & dissipati, nonnullis interfectis, sunt Provinciales; & hunc habuit finem seditiosa Petitio.

Jam etiam cum ejusmodi Petitione appropinquabant Cantiani, qui justi exercitus numero Parliamento eminus minitari videbantur; (illos præterea irritasset nuperæ seditionis circa Cantuariam severa nimis castigatio) contra

contra quos non præsidio minore indigebat Parliamentum, quam ipso Imperatore Fairfaxio, qui cum septem legionibus ad Grenovico adjacentem planitiem progressus est: de cujus successu postea.

Designatum fuerat à Parliamento, Fairfaxium ad Boreales partes tutandas progressurum; sed propiora pericula in Austro retinebant; nec jam ulla fere pars Angliæ quieta; ubique turbæ, tumultus, bella; ad quæ omnia compescenda (mirandum prorsus) unus ille, propitio numine, sufficit Exercitus, qui, ut conjunctus, una æstate, anno videlicet 1646, Regios fregisset validissimos exercitus, omniaque in Parliamenti potestatem redegisset; ita nunc, non minore vel fortitudine vel felicitate, divisus in partes per singulos Regni angulos victor evasit; adeo ut videretur fortitudo & fortuna in exercitu illo (sicut anima in corpore humano) tota esse in toto & tota in qualibet parte. Præter leves illos, & cito compressos tumultus Suffolciæ, in Oriente, Stamfordiæ in mediterraneis partibus à Tribuno

Waito, & Cornubiæ in Occidente à Wallero Tribuno, majores, & multo formidabiliores, in Borealibus partibus, & in Wallia orti sunt.

Initio *Maii* Boream infestabant Regii Duces; Glenhamus tot Præsidiis quondam à Rege præfectus totidemque exutus, nempe Carleolis, Eboraco, & Oxonio, Carleolas iterum non meliore fato occupaverat. Eodem quoque tempore Langdalus, (de quo antea dictum) Bervicum ceperat, munivitque.

Arx etiam Pontefracti munitissima, cæso per insidias Præfecto, à Regiis occupata est. Ad hæc bella peragenda Lambertus strenuus Dux & pro Comitatibus illis Major Generalis cum Legionibus aliquot Fairfaxianorum militum relictus est.

Majora vero pericula Parliamento imminere in Wallia videbantur, non solum ab antiquis, & priore bello victis, hostibus; sed ab illis etiam, qui quondam Parliamentarii Duces, partes suas, causamque jam deseruerant; nempe à Tribunis Poyero, & Powvello; ipsoque etiam optime toties de patria

patria merito Laughornio. Poyerus, qui Opidum, arcemque munitiſſimam Pembrochiæ hactenus tenuerat pro Parliamento, nunc contra illud (ſuſceptis ad ſe malignis hominibus) perv caciſſime defendit. Laughornius ſumimæ claritudinis in illa regione Dux, non contemnendum exercitum contraxiſſet; ſub illo Powellus Tribunus militabat: Brevi tempore adeo auctus [Wallis undique ad eum confluentibus] eſt Laughornii exercitus, ut Octo millia recenſebantur. Bellum hoc geſſere Laughornius & Poyerus [ut poſtea apparuit] auſpiciis Principis Caroli, Diplomate illis à Principe conceſſo, ſed non meliora Filii quam Patris Auſpicia. Hortonus Tribunus cum exigua Fairfaxiani Exercitus parte, aliiſque militibus contra illos contendit, agmen vix trium Millium ducens. Sed Deo omnium victoriarum largitori ſic placuit, ut non ſecundum numeros Partium eveniret.

Hortonus enim octavo die *Maii*, inter oppida Fagans & Peterſtone cum Laughornio congreſſus, totum

illum exercitum, octo nempe Equitum, Peditumque millia fudit, fugavitque. Magna ipso campo strages, & numerus captivorum, [tria nempe millia] victoris exercitus numero major, inter quos capti sunt Ductores circiter 150; multa Vexilla, arma, & tormenta omnia in Hortoni potestatem venere.

Non ulla fere, pro statu temporum, Parliamento felicior evenit victoria, pro qua etiam, jussu Ordinum, publicæ Deo omnipotenti gratiæ actæ sunt.

Laughornius & Povvellus fuga elapsi ad Poyerum, in Pembrochiam se contulere. Mox illos sua fata manent majore sub hoste.

Ipse Cromvvellus, initio *Maii*, in Walliam missus est cum Legionibus aliquot; qui undecimo die *Maii* ad Chepstoum Castellum venit, quod obsidendum statuit; sed ad Pembrochiam festinans, Evverum Tribunum Chepstoi reliquit, qui intra quindecim dies arcem illam, interfecto Kemisho (cui antea prodita fuisset) expugnavit, & Cromvvellus ipse vicesimo *Maii* ad Pembrochiam venit.

Po-

Poyerus loco confisus, conditiones respuebat; noverat etiam pretiosissimum Parliamento tot negotiis simul implicato Tempus esse. Cromvvellus vero desperare non assuetus, obsidioni se accingit; adjutus maxime tunc à Mari opera & industria Georgii Ayscough militis, qui partem Classis illic regebat, qui tormenta bellica, Comeatus omnes, cæteraque obsidioni necessaria, à Bristollia, aliisque locis petita, maxima cura Cromvvello suppeditavit.

Dum hæc in Wallia geruntur, Fairfaxius ad compescendos Cantianos (ut antea dictum) missus cum septem legionibus, eos ad Roffensem agrum persequitur; magnus undique numerus Cantianorum sub signis venere non procul à Gravesenda opido, inter quos plusquam viginti Equites aurati, armigeri, generosique ejus Provinciæ, nonnulli etiam qui Regiis exercitibus duces fuissent. Sed Fairfaxii adventum quamvis numero longe superiores, non ausi expectare, pars Maidstonam versus contendit, pars in Roffensi Vrbe substitit, pars Doroberniam

niam progressa, arcem illam obsidebat. Ad solvendam Doroberniæ arcis obsidionem missi ab Imperatore Richius Tribunus, & Michael Levesay Baronettus, qui feliciter opus illud perfecerunt. Ipse Fairfaxius Maidstonam cum exercitu proficiscitur. Maidstonam opidum duo circiter millia intrarunt, opidumque defendere statuunt. Ad illud expugnandum Fairfaxius se accingit; nusquam magis, in ullo bellorum casu, spectata Fairfaxii, militumque ejus virtus, aut majore discrimine empta victoria; nam postquam in Opidum (acriter quoque defensum) irrupere milites, in singulis etiam Plateis bellum invenere, tormentis ubique dispositis, & pro cunctis ejus angulis pugnatum est. Opidum tandem jactura 40 suorum militum cepit Imperator, ducentis hostium cæsis; captis circiter 1400, quadringentis equis; armisque 2000. Mirandum prorsus fuit illud, quod Cantianorum Exercitus multorum millium numero Fairfaxianis superior, qui etiam ad auxilium sociorum à Roffensi agro veniisset, non ausus tamen

tamen illis auxiliari, in conſpectu ſtabat, dum Fairfaxiani opidum expugnavere. Publicæ Deo actæ gratiæ pro hac inſigni victoria.

Jam pacatum penitus videbatur Cantium (exceptis arcibus aliquot, quæ brevi poſt captæ etiam, aut deditæ Parliamentariis ſunt) cum ſubito novum oboritur hujus Hydræ caput. Goringus Baro, aſſumptis ſibi relliquiis Cantiani exercitus, circiter duobus millibus, ad Grenovicum fere proceſſiſſet; unde exploratores ad tentandos Londinenſium animos miſiſſet; ſed dum eventum expectabant, & in conſpectum venere aliquot Equitum Fairfaxianorum Turmæ, ſubito omnes terrore perculſi, in fugam ſe coniiciunt, quos inſecuti Equites prædam aliquam cum captivis abduxere. Cantiani ad domos plerumque ſuas dilapſi ſunt. Goringus autem cum quingentis circiter Equitibus Grenovicum fugiens, Lembis aliquot illic comparatis, & trajecto flumine, in Eſſexiam ſe contulit. Illic (velut fato quodam novas undique victorias Fairfaxio conquirente) Capellus

Baro cum Copiis ex Harfordia adductis, & Carolus Lucas Miles cum Equitibus aliquot ad Chelmesfordiam Essexiæ opidum se Goringo adjunxerunt: quibus magna militum, Regiorum quondam, multitudo è Londino, aliisque regionibus confluxit; inter quos majoris notæ fuere Henricus Hastingus Huntingtoniæ Comes & Comptonus Northantoni fratres.

Fairfaxius Gravesendæ, trajecta Thamesi, in Essexiam cum parte copiarum contendit; & reliquis ex Cantio, Londinoque accitis, hostes persequitur: quos tandem in Colchestriam compulsos, opidumque illud munientes, obsidione (oblonga ut evenit) cinxit.

Sed aliis omnibus formidolosius malum ab Aquilone erupturum timebatur; non intra Angliæ tantum limites; sed à regno Scotiæ, quod postea enarrabitur.

Lambertus supremus in Borea Dux, Glenhamum, & Langdalum compescere conabatur, tantumque effecit ut ut intra Cumbriæ, Westmorlandiæque

que fines continuit. Sed illi Scotici exercitus (cui se adjungerent) progressum expectabant. Lambertus ingruenti tantorum bellorum moli impar, auxilia quam mature è vicinis provinciis comparare studuit; inter quas eminuit Lancastriorum Eides; qui duas equitum, quatuor Peditum Legiones in Comitatu suo coëgerunt; ut illas Ashtoni ductu, Lamberti copiis in Eboracensi comitatu adjungerent.

Non omnino tamen formidabiles in Septentrione videbantur Maligni Angli; nisi Scotia etiam Parliamenti hostibus addita esset. Bella ex alio Regno produxit fatum, ne de solis Anglis triumpharet Cromwellus.

Parliamento Scotiæ prævalescebat factio Hamiltoniana. Hinc consilia paci adversa, & utrique Regno perniciosa, ipsi etiam Fœderi contraria (sic enim ab Ecclesia Scotica judicatum,) inita sunt. De regno Angliæ invadendo, de copiis comparandis, & cogendo Exercitu, cui Dux Hamiltonus vir ambitionis notæ versutique ingenii præesset, statutum est. Invitati etiam

tiam ad ſocietatem ſunt Angli Regi (pro Rege enim ſe armari pronuntiant) & ſtipendia illis promiſſa. Atque hæc omnia, reclamantibus fruſtra Argathelio, Loudenio, reliquiſque probitatis notę Proceribus; ipſa etiam Eccleſia bellum illud, ut impium, execrante, facta ſunt.

Prævaleſcebat major pars; quæ idcirco ſe Parliamentum eſſe jure quodam jactitabat: & ad deterrendos adverſæ factionis homines, ex Delegatis quibuſdam cōcilium effecere; quibus poteſtas data decernendi in illos, qui aliquid contra Parliamenti decreta molirentur, & inter eos, pœna miniſtris omnibus ſtatuta, qui è ſuggeſtis ſuis populos aliter docerent. Unde effectum eſt ut ſiluere multi, alii multati, Proceres etiam adverſæ partis in loca tuta ſe recepere: non tamen ora miniſtris omnibus obſtrui potuere; quidam conſtanti zelo, iram Dei in Exercitum Hamiltonii denunciabant. Et infelici illius exercitus ſucceſſu, ut poſtea evenit, non magis irritæ videbantur eorum devotiones, quam olim Tribunitiæ diræ

in

in Parthicam Marci Craſſi expeditionem.

Parvæ nimium contra Parliamentum Angliæ videbantur terrenæ conjurationes, (quamvis per totam Inſulam) niſi etiam Mare rebellaſſet. Præcipuæ Regiæ claſſis Naves initio *Junii*, à Parliamento deſcivere, imperium Rainsboroughi Præfecti detrectantes, & ſe pro Principe Carolo (auſpiciis Regiis) militaturas jactitantes, Hollandiam verſus navigabant. Hagæ Comitis tunc degebat Princeps, & cum illo frater Dux Eboracenſis; qui nuper à Londino, ubi honorifice à Parliamento habitus fuiſſet, clam literis à patre miſſis, acciſus aufugiſſet. Defectione harum Navium, ut periculoſiſſima re perculſi Ordines Regni, quam celerrime Comitem Warvicenſem accerſerunt; qui virtute ſua, (ſi fieri poſſet) deſciſcentes illas naves reduceret, reliquaſque interim in Officio contineret. Warvicenſis alacriter munus illud in ſe ſuſcepit; ideoque à Parliamento ſupremus Angliæ Thalaſſiarcha (quo honore initio belli functus eſſet) denuo creatur.

Dum

Dum operam Parliamento navat Varvicensis; frater ejus Hollandiæ Comes infauste, inglorioseque contra illud insurrexit, & temporis opportunitati confisus, dum deficeret Classis; dum Colchestriæ Fairfaxius, Pembrochiæ Cromvvellus bellis implicarentur; Hollandius, tentatis civium animis, adolescentes, Buckinghamiæ Ducem, fratremque ejus aliosque sibi adjungens, ad Kingstonam opidum, cum quingentis Equitibus [expectato ex Vrbe auxilio] armatus apparuit; sed à Levesayo, aliisque, qui prudenter principiis tanti mali obstabant, profligatus circa Kingstonam, cæso Francisco Buckinghamii fratre, cum relliquiis copiarum aufugit, & paucis post diebus ad opidum St. Necdii, à Tribuno Scroopo, quem Fairfaxius à Colchestria ideo emiserat, omnino victus; cæsis Dalbeiro, aliisque, captus est Hollandius ipse, & Ordinum mandato, ad Varvicensem arcem in custodiam traditus.

Ipso illo tempore, quo hæc gesta, Rossiterus inclytam Victoriam de Exercitu Pontifractensium, qui præda-

bun-

bundus per provincias damna incolis ubique multa intulisset, reportavit. Quos omnes, circiter mille Equites, in Campo Willoughbeio adortus fudit, captis omnibus eorum Ducibus, armis, & sarcinis. Lætissimam victoriam tristabat aliquandiu Rossiteri ipsius grave vulnus, de quo tamen postea convaluit.

Victorias hasce Parliamento ubique acquisitas, quamvis perexiguæ earum aliquæ videantur, magnas tamen esse & recensione dignissimas liquido apparebit existimantibus quantum ipsa Respublica, si horum certaminum vel unum male cecidisset, periclitata esset. Et Parliamentum ipsum, perpensis discriminum suorum & numero & varietate, miram numinis protectionem & ipsissimum Dei digitum evidentius internoscat. Per has denique victorias ad alriora tropæa, ipsamque omnium hostium subjugationem facta est via. Quæ circa hoc tempus mirabiliter evenerunt.

Jam enim opportuno tempore Cromvvello dedita est Arx Pembrochiæ; quam pervicacissime diu tenuerant

tant Poyerus, & Laughornius, confi munitionibus loci. Sed ad extrema redacti, opidum arcemque nullis conditionibus; seque captivos ad libitum victoris tradidere. Quod eodem tempore accidit (fato Cromvvellum ad majora vocante) quo Dux Hamiltonus numeroso validoq; Scotorum exercitu Angliam ingressus est; & sibi, post paucos dies, circiter initium videlicet *Iulii* mensis, Langdalum cum copiis suis adjunxisset.

Quibus formidolosus effectus Hamiltonius (jam enim exercitum 25 millium ducebat) terrorem sui late sparserat. Vix alius toto hoc bello exercitus populationibus infestior, aut miseris Incolis crudelior fuit.

De hoc tamen exercitu quid decernerent, cum in Parliamento disceptatum fuit; Procerum Domus ægre in id consensit: *Vt Hostes Angliæ declararentur, Communium enim Domus Scotos, qui sub duce Hamiltono Angliam intrassent, Hostes, Angloſque omnes, qui illis se adjungerent, Perduelles esse judicabat.* Cui decreto Proceres, non nisi post longam disceptationem, assen-

assensere. Præcipui quoque Cives Londinenses, aliique Presbyterii dicti [quamvis Presbyteriis Scotis abominatus hic exercitus] non minus quam Maligni Regii, fausta omnia Scotis his precabantur. Unde de statu temporis judicet Lector.

Lambertus, quamvis tam potenti Hosti longe numero impar, animum non despondit. Sed præsenti periculo occurrere, & certamen, si necessitas postulet, non detrectare statuit. Sed Cromvvelli (cujus auspiciis hæc victoria debebatur) adventum indies expectabat, prudentibus interea retrocessibus, nonnunquam etiam velitationibus, & præliolis aliquot commissis, non solum cum Langdali, sed Hamiltonii etiam copiis tantum temporis absumpsit; dum magno hostium exercitu jam Lancastriæ fines circa *Augusti* 20 diem ingresso, ipse Crumvvellus totis viribus adesset; qui Lamberto ad se recepto, exercitum decem fere millium ducebat.

Initum hoc prope Præstonam Lancastriæ inclytum certamen; quo fusæ, fugatæque omnes Hamiltonii, &

Lang-

Langdali copiæ, quas insecutus victor usque ad Warringtonam [viginti circiter millia passuum] & magna ubique edita strage, Baileium tandem, proximum Hamiltonio Ductorem, cum parte exercitus, vitis tantum concessis, captivos fecit: hoc prælio interfecta sunt tria Scotorum millia, capta vero circiter 9000; paucis interjectis diebus ipse Hamiltonius cum magno Equitum suorum numero prope Vtexeterram à Domino Gray, & Tribuno Wair captus est. Capta quoque cum Hamiltonio hominum, equorumque circiter tria millia.

Captus etiam in Villa quadam est Langdalus à Widmerpolo Parliamentario Duce, hunc habuit successum Hamiltonii in Angliam Expeditio.

Inclytam hanc Cromvvelli victoriam secuta est Colchestriæ deditio; quam Fairfaxius Imperator jam tres ferme menses obsedisset, parvo sane, pro numero obsessorum exercitu; pluviosa tempestate, in qua militum non minus tolerantia quam fortitudo spectabatur Goringus, Capellus, Hastingus, Lucas, reliquique præcipui ob-

obsessorum Duces, donec ad extremam necessitatem deducti essent, pertinaciter deditionem, omnesque conditiones recusassent. Animos eorum diu sustentabant (perpensa etiam Fairfaxianorum militum paucitate) vanæ spes auxiliorum ex motibus Londinensium, ex Hamiltonii, Langdali, vel Hollandii, successibus, & à Principe Carolo; qui jam navibus illis, quæ à Parliamento defciviſſent, potitus, adjunctis etiam sibi puppibus mercatorias, quas vi cepisset, classe non contemnenda, in angusto Britanniæ mari vehebatur. Jam vero, fine scilicet Augusti mensis, Colchestrii, desperatis omnibus, & ad extrema (diu enim equinis carnibus vescebantur) redacti, Victoris clementiæ se dedidere.

In duos tantum animadversum est, Carolum Lucas, & Georgium Lisle, equites, qui ambo militari more plumbo trajecti sunt. Goringus, Capellus, & Hastingus in custodiam traditi.

Sic victoriæ ubique terrestres Parliamento evenere; nec infeliciter in

Mari

Mari gestum, in prædicta enim defectione Classis, pro felicitate reputandum est, quod non plures defecere; & contagium illud periculosum in incautos vulgi animos non latius serpserit, id enim magis mirandum quam defectio fuit. Sed nulla Ducis officia omisit Varvicensis; & placuit Numini, hoc terrore potius quam damno, Parliamento conditionis suæ fragilitatem ostendere.

In fluvio Thamesi cum instructa classe erat Varvicensis circa finem *Augusti* mensis; Cum ex adverso Princeps Carolus ad ipsum quoque fluminis ostium cum classe viginti navium advenisset; & Varvicensi denuntiasset ut Vexillum submitteret, sibique ut supremo Marium Gubernatori, Regio videlicet Diplomate ad id munus accito, obedientiam præstaret. Sed nihil, Varvicense Parliamento fido, effecit hæc denunciatio, nec locus erat prælio navali (præcipue majoribus carinis) opportunus; & Classis Parliamentaria numero impar, adventum Porchmutheusis Classis expectabat; cujus circumagendæ cura, & præfectura Ayscou-

scougho demandata fuit, nec certe novit Varvicensis quid de Porchmutheusi Classe factum esset; an & illa quoque à Parliamento (sic enim rumores crebri attulerunt) desciviſſet. Defeciſſetque procul dubio, niſi eximia Ayscoughi & solertia, & apud nautas existimatio tunc opportune apparuiſſet. Qui prudenter, dimiſſis pessimis, ne latius serperet contagio, reliquorum animos (maxima quamvis difficultate) ita confirmavit, ut totam denique Classem in officio contineret, quam non minore felicitate, Principis Classem nocturno tempore præternavigans, ad Thalassiarcham Varvicensem incolumem adduxit, qui jam, recepto ad se Ayscougho cum Porchmutheusi classe, contra hostes profectus, comperit Principem commeatus inopia in Hollandiam retrocessisse, quem insecutus non multo post cum tota Classe Varvicensis Goræam venit.

Cromwellus, debellato (ut antea dictum) Hamiltonio, victoriam secutus, Scotiam usque processit, opem Argathelio, Levenioque contra Monroi,

roi, & Lanerici copias laturus, quod felicissime effecit; opida quoque quæ Scoti, malignique Angli occupabant, nempe Berwicum & Carleolam, in potestatem Parliamenti Angliæ redegit; tum Scotiam ingressus de salute utriusque Regni consulturus, honorificentissime in arce Edinburgeæ exceptus est, missi obviam Cromwello Nobiles aliquot Generosique à Concilio generali Scotiæ; post Orationes gratulatrices, illum Edinburgum deduxere. Ubi Argathelius, Levenius, aliique Proceres Cromwellum, Hazleriggum reliquosque Duces Anglos magnificentissimis epulis excepere. Gratiæ quoque à Ministris Scotis actæ, & Cromwellus Scotiæ (sub Deo) Sospitator appellatus; itaenim testantur literæ Concilii Scotici ad Parliamentum Angliæ missæ, multa de eo, & Lamberto prædicantes. Evectoratæ tunc sunt Montroi, & Lanerici copiæ; reliquæ etiam omnes præter mille & quingentos Equites Peditesque, qui sub Imperio evenii essent, dum constitutæ sint Res. Decretum quoque est à Concilio generali

rali Procerum, & conventu Ecclesiastico, pro conservatione Religionis, & fraternæ cum Anglis concordiæ, quod nullus eorum, qui cum Hamiltonio Duce in nupera Angliæ invasione steriſſent, in novum Parliamentum (quod tunc inductum fuit) vel cœtum Ecclesiasticum eligeretur. Hamiltoniana enim factio tam Religioni quam utrique Regno inimica censebatur.

Notatu digniſſimum est quod Exercitus ille Anglicanus qui Fasciculus Sectariorum à Religiosa Scotorum Parte habitus, appellatusque esset, quemque multis opprobriis, maledicriſque oneraſſent; jam pro instrumentis Dei, & Ecclesiæ, Scotiæque vindicatoribus ab iisdem Scotis agnoſceretur. Errorem quoque suum, & temeritatem ingenue fatebantur præcipui Scotorum Proceres; superiore anno Exercitum istum ut Rebellem accusando, quod ea feciſſent in Anglia, quæ nunc ipsi in Scotia agere Reipublicæ causa coacti sint.

Miranda prorsus hæc Concilii Scotici mutatio; niſi mutatio Parliamen-

ti Anglicani majus esset miraculum. Quis non obstupescat Cromvvellum, ob debellatos Scotorum Exercitus, & vindicatam ab extremis miseriis Angliam, Sospitatorem Scotiæ, non item Angliæ appellari, & illam ipsam contra Scotos victoriam Presbyteriis Scotis religionis causa placuisse, Presbyteriis vero Anglis Religionis causa displicuisse? Nec ipse Oedipus ad hæc ænigmata solvenda sufficiet; præsertim si secundum ea, quæ recta suadeat ratio; non ea potius, quæ producant invidia, odium, & exacerbans factio, judicaverit.

Mutata subito videbatur Parliamenti facies, mutata consilia, abrogata Decreta, quæ superiore anno facta sunt, illa ipsa Decreta *de nullis posthac ad Regem applicationibus faciendis.* De quibus etiam Declaratio illa [superius dicta] edita fuit; ut consiliorum suorum ratio, & necessitates illuc impellentes toti mundo innotescerent. Jam vero contraria prioribus consiliis consilia inita, & Applicationes Regi (accusatis illis superius dictis ab Exercitu, Membris Commu-

munium, & Proceribus aliquot ob nuperum excitatum bellum perinde accusatis, sedibus suis in Parliamento restitutis) ardentius multo quam unquam antea, factæ sunt. De Propositionibus conficiendis, de Tractationibus cum Rege, etiam Londini Personaliter, in honore, libertate, & securitate (priusquam *securitatem ullam, vel satisfactionem populo dedisset*) deliberatum fuit. Hoc vero non processit, sed præponderantibus tandem suffragiis decretum ut in Insula Vecti Tractatio de pace haberetur; Rex vero locum in illa Insula ipse eligeret. Missi itaque, quarto Augusti ad Regem sunt cum Comite Middlesexiæ, Duo Communium. Quibus Rex se libenter de pace tractaturum respondit; & Novam Portam opidum in Insula Vecti, locum Tractationis nominat.

Protinus electi ex utraque Domo qui hanc cum Rege Agitationem perficerent, Proceres nempe quinque, Northumbriæ, Pembrochiæ, Sarisburiæ, & Middlesexiæ Comites, cum Vicecomite Say.

Communes decem, videlicet Dominus Wainman, Holleis, Peirpoint, Henricus Vane Junior, Harbottle Grimston, Johannes Potts Milites; Browne, Crew, Glyn, Buckeley, Armigeri.

Maxima Regi observantia, & in omnibus obsequium, durante hac Agitatione, à Regni Ordinibus exhibitum; adeo ut summo jam in honore videbatur; concessum est ei quos vellet ex famulis suis, eligere; & splendido comitatu ut Rex, degebat; Dux Richmondiæ, Marchio Hartfordiæ, Southantoniæ, & Lindseiæ Comites cum famulorum inferioris loci ordinisque competenti numero; nec non Capellani sui, & Jurisconsulti, quos ad hanc Tractationem eligeret, in aula ejus permittebantur. Dum processit hæc cum Rege Agitatio; dum disceptationibus, concessionibus, & denegationibus menses aliquot absumpti sunt; ecce alia mutatio, quæ Regem è summo honore (contrariis contraria provocantibus) in extremas angustias tandem conjecerunt. Dum alii Regem levibus, vel nullis fere-

fere conditionibus, in Solium rursus evehere contendunt: alii, perpensis & quæ Rex fecisset, & quæ Respublica, præcipue Parliamentariæ partis homines, pati dehinc possent, si Rex immutato animo, pristinæ dignitati restitueretur, eum omnino tolli cupiebant. Hinc multæ, crebræque Petitiones Parliamento oblatæ, aliæ Fairfaxio Imperatori, *Vt quicunque in Rempublicam deliquissent, excepta nullius Persona, in judicium vocarentur.*

Prima ejus generis Petitio, undecimo Septembris die, Parliamento oblata; cui Titulus, *Honoratissimis Angliæ Communibus in Parliamento conventis.*

Humillima Petitio multorum millium bene animatorum hominum, in Civitatibus Londini, & VVestmonasterii, in Burgo Southvvarka, & pagis adjacentibus, habitantium.

Hanc Petitionem spatio fere unius mensis secutæ sunt è diversis Angliæ Comitatibus, & Legionibus Exercitus, multæ ejusdem generis Petitiones; è Comitatu Oxoniæ, Septemb.

30: è Leicestriæ Com. Octob. 2: à multis in Exercitu Ducibus, Octob. 4. Tres aliæ una die, decima videlicet Octobris: ab Iretoni legione, Octob. 18. ab Ingolsbeii legione, Octob. 21.

Harum fere omnium Petitionum scopus unus & idem, nempe ut Justitia fiat; & Reorum tanti sanguinis effusi, totque Angliæ calamitatum Præcipui puniantur, illi videlicet, qui secundi hujus Belli Excitatores, & nunc in potestate Parliamenti sint; nempe Hamiltonius, Hollandius, Capellus, Goringus, aliique: præcipue vero orant ut Rex ipse, maximus totius Belli & tantorum malorum Author, in judicium vocetur; *Vtque liceat sibi illa saltem in memoriam revocare, quæ Parliamentum ipsum superiore anno contra Regem decrevisset; quæque Ecclesia Scotica anno 1646. contra eundem Regem, & flagitia ejus denunciasset; Illum videlicet reum esse (præter alia horrida) effusi sanguinis multorum millium optimorum subditorum. Quæ si vera sint, nec ullo modo punita, ullave facta compensatione, metuendum esse ne tanta injustitia iram provocent Omnipo-*

nipotentis Dei, qui Regem illum tam cruento bello, tantisque populi impensis victum debellatumque in manus illorum tradidisset. Orant itaque obsecrantque, *ne tot miraculosa Sospitatoris Dei collata in ipsos beneficia ingrate proiiciant; neve se, amicosque suos fideles tractationibus subdolis hosti exacerbato & implacabili tandem prodant.*

Hic ferme scopus omnium illarum Petitionum, quæ Parliamento, jam tractatui cum Rege intento, indies oblatæ, & rejectæ. Prævaluere tamen hæc Vota tandem; præsertim postquam Declaratio illa Fairfaxii Imperatoris, & generalis Ducum Concilii, Novembris vicesimo die Parliamento oblata est. Qua vero ratione, quibusve mediis eo demum perventum, ut Carolus Rex in judicium tractus, damnatus, & capite plexus sit, quoniam tantæ rei plena enarratio & indagatio Historiam per se efficiet, non erit hujus Opusculi. Et nos tantum æquoris spatium permensi, vela contrahimus.

FINIS.